

Digitized by Google



BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI
N.° d'inventario 975
Sala
Scansia Palchetto
N.° d'ord.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Palat. XVI 25

Digitized by Google

180073



INSCRIPTIONES VETERES

QUAE

IN REGIO MUSEO BORBONICO

ADSERVANTUR

INSCRIPTIONUM LATINARUM

CLASSIS PRIMA

SACRAE.

NEAPOLI,
EX REGIA TYPOGRAPHIA.
1857.

Digitized by Google

INSCRIPTIONES LATINAE.

CLASSIS PRIMA.

SACRAE.

SECTIO PRIMA.

HERCVLANENSES, POMPEIANAE, STABIANAE.

(1)

Q. LOLLIVS · SC YLAX · ET
CALIDIA · ANTIOCHIS · MATER
M · CALIDIVS · NASTA IOVI
V · S · L · M

Nuper crutum ab Herculaneo hunc lapidem affirmavit Martorellius pag. 506 *thecae calamariae* (editae anno 1756). Minus emendatum edidit Zaccaria bis (*storia letteraria d' Italia* tom. x pag. 624 anno 1757 et tom. xiv p. 107 anno 1759) aitque haud longe ab oppido *Torre dell' Annunziata* repertum. E Zaccaria exhibuit Donatus (*suppl. ad Murat.* p. 4). Patet ex his incertum adhuc esse, ad Herculaneumne, an ad Pompejos sit potius referendus. Pompejis favet et Vetrauius (*Sebethi vindic.* pag. 48). Rem tamen haud potuimus ad liquidum perducere, delitescentibus adhuc rerum annis 1756 et qui proxime sequuntur crutarum descriptionibus. Q. Lollii tres certe in herculanensium civium catalogo referuntur in marmore, quod editum est *dissertat. isagog. ad herculanensium voluminum explicationem* tab. xvi et nos suo quoque loco dabimus. Sed et pompejanos Q. Lollios memorant quaedam e ministrorum inscriptionibus, de quibus mox erit dicendum; aliorumque pompejanorum Lolliorum mentio fit in inscriptionibus quas aedificiorum muris appictas invenimus. Calediam gentem et ipsam pompejanam a Calidia diversam non esse pronunciat cl. collega noster Guarinius, qui et nostrum hunc lapidem edidit in suo opere *fasti duumvirali di Pompei* pag. 80, 81, praemisso C solitario, quod marmori credidisse videtur antiquitus insculptum, quum nota sit recentiori manu adscripta. Notandus in cognomine sc ylax hiatus inter duas litteras c et y, ut purus is locus relinquatur, in quo levi quadam fractura marmor foedatur.

(2)

IMP · CAESAR · VESPASIANVS · AVG · PONTIF · MAX
TRIB · POT · VII · IMP · XVII · P · P · COS · VII · DESIGN · VIII
TEMPLVM · MATRIS · DEVM · TERRAE · MOTV · CONLAPSVM · RESTITVIT

Egregius lapis Herculanei inventus x kal. aug. 1757 in ipsis, ut fertur, templi Matris Deûm a Vespasiano restituti ruinis. Editus pluries, ut in *philosophical transactions* ann. 1758 tom. l num. 84 et in *dissertationis isagogicae ad herculanensium voluminum explicationem* p. 59, ubi recte notatur Vespasianum honorum

Digitized by Google

sibi ab Herculanensibus habitorum (qua de re alios lapides testes habemus) gratiam municipio rependisse. Incidit marmor in annum urbis 829, post Christum 76, ideoque tribus est annis tantum extremo urbis excidio vetustius. Terraemotus vero, quem memorat, idem est quo et Isidis templum pompejanum corruit, qui nempe 10 Neronis imperii anno (urbis 816 post Christum 63, 16 ante urbis sub Tito eversionem) Regulo et Virginio Coss. nonis februarii Campaniam vastaverat; de quo scribens Seneca (*natur. quaest.* lib. VI cap. 1) ait: *et herculanensis oppidi pars ruit, dubieque stant etiam quae relicta sunt.* Tacitus tamen (*annal.* lib. XV cap. 22) hunc terraemotum refert ad priorem annum, urbis 815, post Christ. 62, P. Mario L. Asinio coss.

(3)

N · POPIDIVS · AMPLIATVS
PATER · P · S

Inscriptum Bacchi signo quod Pompejis in aede Isidis repertum est VI id. februar. anni 1766. Plura de hoc lapide et de eo qui sequitur, dabimus in eo opere, quo ipsum Isidis templum illustratur.

(4)

N · POPIDIVS · N · F · CELSINVS
AEDEM · ISIDIS · TERRAE · MOTV · CONLAPSAM
A FVNDAMENTO · P · S · RESTITVIT · HVNC · DECVRIONES · OB · LIBERALITATEM
CVM ESSET · ANNORVM · SEXS · ORDINI · SVO · GRATIS · ADLEGERVNT

Praefixa est ipsi Isidis aedis portae a Popidio Celsino restitutae, ibique inventa XIII kal. aug. anni 1766. De ejus sensu fusius disceptabitur in ea, quam memoraviinus, Isidis templi pompejani descriptione.

(5)

L · CAECILIVS
PHOEBVS
POSVIT · L · D · D · D

Basi inscriptum, cui imposita est Isidis statua in aede ejus pompejana. De hac quoque inscriptione fusius dicemus in opere de Isidis templo.

(6)

M...MIA · P · F · SACE.DOS · PVBLIC · GEN...IO · ET · PEC...

Pompejanam esse epigraphen ipsa clamat: quando tamen effossa fuerit, aduotatum adhuc non invenimus. Supplenda omnino: *Mammia P. F. sacerdos publica Genio* (an *Coloniae*? Gruter. p. CIX n. 4 et CX n. 7, 8 etc.) *solo et pecunia sua*, plane ut in ea quae Pompejis adhuc exstat ad aedem Fortunae Augustae M. Tullii inscriptione, quam infra exhibebimus. Mammia vero haec nostra eadem est, cujus in hemicyclo Pompejis memoriam legimus saepissime vulgatam, et a nobis suo loco referendam. Ceterum et pompejanam publicam sacerdotem Eumachiam, et Istacidiam e lapidibus novimus, de quibus suo loco, et Allejam M. F. Decimillam sacerdotem publicam Cereris item pompejanam, eam nempe quae sepulcrum M. Allejo Luccio Libellae viro, et M. Allejo Libellae filio, quod Pompejis adhuc exstat, faciundum curavit, uti ex inscriptione patet, quam primus edidit Millin (*tombeaux de Pompéi* pag. 96.). Aliarum quoque pu-

blicarum sacerdotum pompejanarum et nomina et tituli infra suo loco referentur. Et Faberiam *sacerdotem publicam numinis* CAP (uae?) *electam a splendido ordine* memorat campanus lapis apud Murat. pag. MCMXCI n. 1, et publicam quoque sacerdotem innuunt duo haec surrentinorum marmorum fragmenta, quae haud plane emendata leguntur apud Anastasium *animadvers. ad Milante* p. 144:

*sacer*D · PVBLIC · VENER
MATRONAE · STATVAM
IN · AEDEM · VENERIS
FVNERI IIVIC
LOCVM · SEPVLTVRAE . EI (*lege* ET)
STATVAM · DECREVERVN
item :
....AE · L · F · MAGNAE
...DOTI · PVBLIC
...IS · ET · CERERIS

(7)

D , D
..A'ESIVS, DAPHNVS
.....TA'L , NVCERIA'E , ET
.....A'EDEM,GENI, STABIA'R
.....S, MARMORI.. EXA'TA
.....D E, RESTI'TVIT

Inventum est marmor, seu potius fragmentum hoc, Stabiis paullo infra eum locum ubi hodie extat aedicula S. Mariae vulgo *delle grazie* sub Laetario monte (i. e. *di Lettere*) prid. non. septembris 1762. Editum est a Winckelmann in notitia rerum Herculanei inventarum ad Henr. Fuessly (*oper. edition. italicae anni* 1831 tom. VII pag. 241) et in *dissertat. isagog. ad hercul. volum. explicat.* p. 87 et seqq. ubi et tab. XVIII marmor restitutum hoc modo exhibetur:

D · D ·
m · CAESIVS · DAPHNVS
*duo biden*TAL · NVCERIAE · ET
vetustam AEDEM · GENI · STABIAR
*labentibu*S · MARMORIB · *v*EXATA*m*
*provi*DE · RESTITVIT

Ex eadem marmoris ipsius pictura patet nullum esse locum extrema linea 4 ubi post litteras.. EXATA potuerit M quoque insculpi. Perperam vero Romanellius (*viaggio a Pompei* tom. I pag. 183) inscriptionem quasi integram edidit, supplementis ipsis in eam receptis, quae res fucum fecit clar. Orellio (*inscription. latinar. collect.* tom. I n. 2483), qui tamen sui oblitus, epigraphen ipsam minus emendate iterum exscripsit num. 4968 e Ferussaci diario, *bulletin des sciences historiques août* 1827 pag. 152. Argumenta, quibus supplementa illa nituntur, pete e *dissertat. isagogicae* l. c. Cl. Guarinio tamen visus est sic supplendus lapis:

D · D
m · CAESIVS · DAPHNVS
augus TAL · NVCERIAE · ET
stabiar · AEDEM · GENI · STABIAR
dilapsis · MARMORIB · *v*EXATA*m*
*splendi*DE · RESTITVIT

Ad. lin. 5. comparanda gruteriana epigraphe pag. MLXX, 8: SILVANVM · ANTICVM · VEXATVM · DE · SVO · REFECIT · Item verba haec in vejentana inscriptione (Cardinali *diplomi imperiali* pag. 210) STATVAM · EX · RVINA · TEMPLI · MARTIS · VEXATAM. Et alia similia in gabina apud Orellium *(inscript. latin. coll.* n. 2193) OPVS · PORTIC · SPEI · VETVSTATE · VEXATVM.

(8)

ANTEROS · L · HERACLEO · SVMMAR
MAG
LARIB · ET · FAMIL D· D

Inventa est Stabiis idib. dec. 1749 atque edita a Gorio (*symbol. dec. rom.* tom. II pag. 147), a Zaccaria (*storia letteraria d' Italia* tom. II p. 155), a Bajardo (*catal.* p. 164), a Martorellio (*thec. calam.* p. 651), a Donato (*supplem. ad Murat.* pag. 46 n. 3), aliisque. Descriptionem aedificii in quo inventa est inscriptio et femineae protomes marmoreae, ad quam adstituebatur, pete ex eodem Bajardo. In eam peculiari dissertatione commentatus est collega noster Franciscus M. Avellinius, quam inseruit vol. III *opusculorum* suorum pag. 1 et seqq. Mulieris protomes, de qua modo

Digitized by Google

diximus, dedimus ectypon in nostra tabula I fig. 1. Vide quae de ea notata sunt in dissertatione Avellinii p. 66. Etsi vero ille in ea dissertatione Anterotem libertum binominem esse crediderit, de qua re plura protulit exempla, nil tamen prohibere videtur quominus censeamus duos fortasse potuisse in lapide *summarum magistros* designari, Anterotem nempe libertum, et Heracleonem.

(9)

P · STALLIVS · AGATHO [a]
MINISTER · D · D
IMP · CAESARE · IX
M · SILANO · COS
.... VATVM · P · ALFENO
P · VINICIO COS
IVSSV
M · POMPONI · MARCELLI
L · VALERI · FLACCI · D · V · I · D
L · OBELLI · LVCRET ...
.....

De hoc et sequentibus lapidibus pompejanorum ministrorum mentionem facientibus (omnes fere his, qui proxime elapsi sunt, annis reperti fuere), commentati sunt praecipue editis opusculis collegae nostri Raymundus Guarinius et Franciscus M. Avellinius, e quibus quae uterque attulit ad horum monumentorum explicationem peti possunt. Marmoris hujus primus consulatus refertur ad annum urbis 729 ante Chr. 25, secundus ad ann. urbis 755 post Chr. 2. Porro P. hunc Stallium Agathonem ministrum fuisse *sacrorum* haud secus ac eos, qui in reliquis ejusdem argumenti lapidibus memorantur, dubitari non potest. Quum vero *ministri* vocati fuerint non modo *popae et victimarii*, servilis, ut plurimum, conditionis homines [b]), sed *camilli* quoque et *flaminii* qui ingenui erant pueri patrimi et matrimi [c]), mirum non est P. hunc Stallium Agathonem ingenuum hominem ministrum hic dici. Et ingenui quoque occurrunt sacrorum ministri in ceteris non pompejanis modo, sed et alibi inventis lapidibus, e quibus meminisse hic unum juvabit, quem Pratillius extare ait in villa III a Capua lapide, cui nomen *Tutuli*, propter argumenti cum nostris his affinitatem. Ara est, cum his in unaquaque facie inscriptionibus:

(a)

IMP · CAESAR
T · STATILLIVS · COS
HISCE MINISTRI
FACIVN · COER

(b)

L · POPILIVS · SP · F
L · POPILIVS · HIL
Q · STAEDIVS · PROT · T

(c)

MVSICVS · POP · L · S
GLVCO POP · L · S
FELIX POP · L · S
GLAVCIA POP · L · S

(d)

SOSVS · POP · L · S
EROS · FABER
EROS · INGENVVS
ATTICVS · POP · L · S

Vide *della via Appia* lib. III c. 2 pag. 331, 2 [d]). Ceterum etsi frequens

a) Litteris TH in monogrammate.

b) Merula *de sacerd. Rom.* cap. 4 pag. 50 hos κατ' ἐξοχὴν *ministros* vocari allatis Ovidii, Lucretii, Virgilii, Juvenalis versibus contendit. Et de iis quoque intelligendus Lucret. lib. I v. 90: *Et hunc propter ferrum celare ministros.*

c) Fest. voc. *Flaminius.* Perperam ergo Marinius ingenuos ministros agnoscere non videtur, *Arval.* tom. II pag. 416. Apud Suetonium (*Tiber.* cap. 44, *Galb.* c. 8) *ministri* dicuntur qui acerram manibus tenentes adstabant sacrificantibus.

d) De ministris quoque intelligendus videtur lapis hic apud Gruterum, pag. 1069, 6:

LIBERO · PATRI
D · D · S · M
MERCVRIALIS
SATVRNINVS
ADLECTVS
AGATHONICVS

In graecis quoque lapidibus saepe memorantur sacri ministri, ex. c. ΛΕΙΤΟΥΡΓΟΙ (Boeck *corpus inscript.* tom. I, pag. 315, 353), ΘΥΤΑΙ (*ibid.* p. 640), ΘΗΟΣΤΡΑΤΙΑ (*ibid.* pag. 690). Vide et tom. II pag. 5, et alibi saepe, et praecipue sacrorum ministrorum catalogos tom. II pag. 612, 626: et de ΙΕΡΟΘΥΤΑΙΣ in agrigentinis quoque et in melitensibus inscriptionibus obviis vide quae nuper notavit clar. Philippus le Bas in opere: *inscriptions grecques et latines recueillies en Grèce par la commission de la Morée, I cahier, Messenie et Arcadie pag. 15, 18.*

Digitized by Google

sit in inscriptionibus sacrorum ministrorum mentio, raro tamen, ut nostri hi pompejani, ad sacrorum, in quibus ii ministraverint, memoriam servandam lapides ipsi positi inveniuntur. Patet quidem ex Arvalium actis a sacrorum notitia alienam non semper habitam ministrorum quoque mentionem, ut ex. c. quum legimus tab. 23: ISDEM · COS · III · K · IVN · IN · DOMO · L · VENVLEI · APRONIANI · MAG · AD PERAGENDVM · SACRIFICIVM · PER FRATRES · ARVALES · EPVLANTES · ET · FRVGIBVS MINISTRANTIBVS · PVERIS · INGENVIS · PATREMIS (sic) · ET · MATRIMIS · SENATORVM · FILIS · REFERENTIBVS · AD ARAM · INPATERIS [a]). Vide quoque tabulas 24, 26, 27, 33, 34, 37, 40, 41 b etc. In tab. 32 legis et ministrorum addita nomina: MINISTRANTIBVS PVERIS PATRIMIS ET MATRIMIS SENATORVM FILIS ACILIO AVIOLA ET ACILIO SEVERO ET M. VLPIO BOETHIO ET CL. SVLPICIANO CVM PVBLICIS etc. Alibi ministrantes indicantur *per relationem:* MINISTRANTIBVS PVERIS etc. EISDEM QVI ET XVI KAL IVN (tab. 32 col. 3). *Publici* quoque et *calatores* inferioris ordinis ministri saepe in his actis memorati, ut ex. c. tab. 23: PIACVLVM · FACTVM · PER · CALATO'REM · ET · PVBLICOS · EIVS · SA'CERDO'TI, et tab. 43 addito calatoris nomine: III · NON · MAI · PER · PORC · PHILOLOGO (sic)· CALAT · ET · PER · PVBLIC · FRATR · ARVALIVM. Quare etsi saepius sacerdotis vel magistri qui sacrum fecit, quam ministrorum fiat in marmoribus mentio, quod ex arvalibus ipsis et taurobolicis patet, tamen et ministrorum aliquando mentionem tantum, neglecto sacerdote vel magistro, fieri videmus: idque Pompejanis familiare fuisse nostra haec marmora evincunt [b]). Sacrum vero quod minister Stallius fecit urbis anno 729, *novatum* fuisse anno 755 indicat marmor: eamdemque vocem de annuis sacris usurpavit Virgilius (*Aen.* lib. VIII v. 188, 9):

.... Saevis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores:

quos nempe *sacra annua* jam dixerat (v. 173). Sic quoque de Palilibus Propertius (lib. IV eleg. 1 v. 19, 20):

Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
Qualia nunc curvo lustra novantur equo.

Eodem fere sensu *iterari* dicitur sive expiari iterum per taurobolium Herennia Fortunata in lapide regii hujus musei a Marinio jam edito (*Arval.* pag. 358), atque a nobis suo etiam loco mox edendo: HERENNIA · FORTVNATA · INPERIO (sic). DEA··· PER · TI · CLAVDIVM · FELICEM · SACERD · ITERATA · EST: quod etiam *iterandi* vocabulum in aliis taurobolicis inscriptionibus occurrit. Vide Gruter. pag. XXVIII n. 5 etc. Utrumque verbum de agro tamen Cicero conjunxit, *agro non semel arato sed novato et iterato* (*de orat.* lib. II c. 30). Idem vero *novandi* vocabulum et in lanuvino marmore offendimus, quod exhibetur in opere *memorie romane di antichità* tom. I pag. 221, et emendatius, ut videtur, a Righetti (*descrizione del Campidoglio* tom. I p. 168):

D· M· S
OSSA· MECILIAE· BALBILLAE· LANVVII
SAC· QVAE· IN AEDE· IVNONIS· S· M· R
SCVTVLVM· ET· CLYP· ET· HAST· ET· CALC
RITE· NOVAVIT· VOTO

Quod vero in sacrorum renovatione commoverentur simulacra, ideo saepe apud veteres sacra ipsa *mota* vel *commota* memorantur; qua de re confer si lubet Dousam *ad Plauti Pseudol.* act. I sc. I v. 107, Guther. *de veteri jure pontificio* lib. IV c. 1, Gronov. *observat.* lib. I c. 15, aliosque plures. Verbum *movere* etiam de *criobolio* et *aemobolio* adhiberi constat in inscriptionibus: vide Reines. p. 212. Et in lapide apud Gruter. pag. XXVIII n. 6:

a) Cl. Marinius legendum censet, *ministrantibus pueris et fruges referentibus;* qua tamen correctione opus non esse videtur, cum pueri dicantur frugibus ministrantes (easque) referentes.

b) In inscriptione a Marinio edita (*iscriz. Alban.* p. 20), in qua magistrorum quoque et ministrorum fit mentio, legimus ... RAT. ET. OSTIA. ET. FASTVS. DE. SVA. PECVN. FECER. *Fastus* hic de Kalendariis accipit Marinius; sed sacerdotales potius *fastos*, vel si mavis *fastus* innui suspicamur, in quibus nempe sacra sua quaeque die descripta, addita forsan et magistrorum et ministrorum mentione.

Digitized by Google

ET · VENERANDA · MOVET · CYBELES · TRIODEIA · SIGNA · Vide de his dissentem quoque Zornium *biblioth. antiquar. exeget.* tom. II pag. 1090 seqq. Heic autem monendus est lector, nos huius lapidis et sequentium affinis argumenti, uti et caeterorum omnium, lectionem exhibuisse quam potuimus emendatissimam, marmoribus ipsis pluries ac diligenter inspectis. Itaque errores, qui in exscribendis atque edendis his lapidibus saepe aliis editoribus excidere, molestum et supervacaneum notare duximus, quum haec σφάλματα et deprehendi et caveri facile possint, instituta modo cum nostris his ἀπογράφοις comparatione.

(10)

m. sITTIVS › M › L
PAPIA
*m*ERC › MAIAE
*s*ACRVM › EX › D › D
IVSSV
M › MELSONI › A › F › ITER
P › ROGI › P › F › VARI
D › V › I › D
N › PACCI › N › F › CHILONIS
M › NINNI › M › F › POLLION
d. V › V › A › S › P › P
*m. cra*SSO › CN › LENTVLO
*co*S

Pertinet ad annum urbis 740, ante Christum 14. Inventa est Pompejis paullo ante annum 1823. Incipit in hoc lapide mentio pompejanorum duumvirum V. A. S. P. P. qui et in sequentibus quoque hujus classis lapidibus obvii: de quarum notarum interpretatione in diversa abierunt Guarinius, et Avellinius, quorum sententias atque argumenta pete ex editis ab utroque dissertationibus. Prior interpretatur de duumviris *Votis Augusto Susceptis Publice Procurandis*: alter duumviros hos ipsos esse pompejanos aediles arbitratur, qui duumviros *Vrbi Annonae Solemnibus Publice Procurandis* se dixerint; quae nempe triplex erat aedilitatis procuratio. Vide Ciceron. *de legib.* lib. III cap. 3. Meminit Orellius (*inscription. latinar. collect.* n. 3700) et conjecturae critici cujusdam vindobonensis has ipsas notas in pompejana parietina sic explicantis: *virum amplissimum servatorem populi pompejani:* quod vix cuiquam probabitur. Quod vero in hoc lapide sacrum MERC. MAIAE dicitur fecisse Sittius, in memoriam revocat et in venusino calendario sub die XVII Kal. junias sic notari MERCVR · MAIAE, (vid. Orell. *l. c.* vol. II pag. 391) et in vindobonensi sub eadem die: N MERCVRI quod *Natalis Mercurii* explicat Fogginius (*fast. anni rom.* pag. 120). Macrobius (*Saturnal.* lib. I cap. 12) sic ad rem: *Contendunt alii Majam Mercurii matrem mensi (majo) nomen dedisse; hinc maxime probantes, quod hoc mense mercatores omnes Majae pariter Mercurioque sacrificant. Affirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Majam, cui mense majo res divina celebratur, terram esse, hoc adeptam nomen a magnitudine....et Mercurium ideo illi in sacris adjungi dicunt, quia vox nascenti homini terrae contactu datur; scimus autem Mercurium vocis et sermonis potentem.* Patet ex his in nostris lapidibus MERCVRII et MAIAE separatim legendum, non Mercurii Majae *filio*, etsi sic saepe veteres (ex. c. Ἑρμῆς ὁ Μαίας λίθινος, Eubul. fragm. apud Athen. *dipnos.* lib. XI c. 2,) et in graeca inscriptione apud Gruter. (pag. 1608 n. 1) et apud Boeck (*corp. inscr. graecar.* tom. II p. 423) legatur: ΟΤΡΕΣΙ ΤΑΛΛΑΙΟΙΣΙΝ ΙΔΡΤΜΕΝΕ ΜΑΙΑΔΟΣ ΕΡΜΗ. Verisimile quoque est et hunc et sequentem lapidem majo mense anni urbis 740 positum, quo mense duumviri pompejani, qui anno praecedente 739 magistratum inierunt, nondum eo excesserant, uti et infra uberius ostendemus. Porro genitivi nostri hujus lapidis MELSONI, ROGI, PACCI, NINNI, (exempla aliorum similium habemus alibi innumera) revocant in memoriam agitatam nuper a doctis quibusdam Germanis litem de veritate animadversionis Beutleji ad Terentii *Andr.* act. II sc. I v. 20: qua de re consule, si lubet, Alexandri Theodori Sverdsioei *vindicias praecepti Bentlejani de genitivo substantivorum in IVS et IVM desinentium*, editas Rigae anno 1832, forma,

Digitized by Google

quam vocant, octava, et quae de eodem argumento notavit vir doctus in diario litterario hallensi, *Allgemeine Litteratur-Zeitung*, april. 1834 num. 75. De accentibus qui in hoc lapide ceterisque haud oppido paucis signantur, praeter ea quae a pluribus observata sunt, vide quae nuper notavit cl. Cardinali (*diplomi milit.* p. 94). Fuisse vero et hunc lapidem et eum, qui sequitur, clavis olim parieti vel basi adfixum probant extantia adhuc in utriusque angulis quatuor foramina clavis illis excipiendis apta.

(11)

M · SITTIVS · M · L
SERAPA
MERC · MAIAE
SACRVM · EX · D · D
IVSSV
P · ROGI · P · F · VÁRI
M · MELSON*i. a.* F · ITER
D · V · I · *d*
N · PACCI · N · F · C*hi*LONIS
M · NINNI · M · F · POL*lionis*
D · V · V · A · S · P · P
M · CRASSO · CN · LENTVLO [a])
cos

Est ejusdem anni cujus et superior cum quo simul inventus: ab eo vero in solo ministri nomine et in duumvirum nominum collocatione discedit. Hujus reciprocationis nominum magistratuum exempla et alibi et in nostris his pompejanis inscriptionibus frequentia. Immo privatorum quoque nomina reciprocabantur, veluti eorum qui statuae vel basis ponendae dedicandae vel voti solvendi curam susceperunt. Vide ex. gr. Gruter. CDXIX 5, VIII 3, MVI 5 et alibi. Eam vero reciprocationem in consulum nominibus ex arbitrio prorsus pendere post alios pronunciavit quoque nuper clar. collega noster Bartholomaeus Borghesius (*sull'ultima parte della serie de' censori romani* pag. 140). *Serapae* nomen videtur ex longiore, *Serapione* fortasse, contractum, e more ejus aevi. Vide de hujusmodi contractionibus viros doctos, praecipue Grotium ad Lucae *evangelii* init. et ad Pauli *epist. ad Titum* cap. 3 v. 12, et doctissimum Mazochium *spicil. biblic.* tom. III pag. 111 et 360.

Priusquam ad sequentem lapidem gradum faciamus, qui est anni urbis conditae 752, memorandus hic venit lapis adfinis argumenti, cujus jampridem deperditi servata sunt tamen vestigia insperato quodam fortunae beneficio, eaque a collega nostro Francisco M. Avellinio diligenter excepta memoriae hominum sunt mandata. Fuerat nempe lapis hic bifariam dissectus atque podio tablini domus privatae pompejanae incrustatus, antica ejus facie parieti admota: deinde avulso sub ipsum Pompejorum excidium lapide atque obruta urbe, manserunt expressa in ipsa calce litterarum vestigia, unde pronum fuit sic marmor ipsum restituere:

(12)

DAMA · PVP · AGRIPPAE
MANLIANVS · LVCRETI
ANTEROS · STAI · RVFI
PRINCEPS · MESCINI
MINISTRI · PAGI
AVG · FEL · SVB*urb*AN
PRIMI · POSIE*run*T (sic)
TI · CLAVDIO · NERONE · ITER
CN · CALPVRNIO · PISONE · COS

Est anni urbis 747, ante Chr. 7. Edidit primus hoc marmor Avellinius ipse (*opusc. tom.* II pag. 288) addita cl. Borghesii epistola de consulatu Tiberii II et Cn. Calpurnii Pisonis (*ib.* pag. 306 seqq.) dignissima sane quae consulatur. Habemus e solo hoc marmore ministrorum pompejani pagi Augusti suburbani (pagi alterius SVBVRBANI in Hispania memoria est apud Gruter. pag. CCL n. 7) mentionem, quos nempe pagi ejusdem *magistris*, qui ex aliis lapidibus pluribus innotuere, addictos licet suspicari. *Primi* dicuntur, incertum an quod primi hi ministerium pagi inierint, an quod primi aliquid (signum fortasse) posuerint. Vide inferius notata ad inscriptionem ministrorum Fortunae Augustae, qui primi item dicuntur.

a) Litteris NT in monogr.

Digitized by Google

Notandum Manliani nomen, quo hic utitur minister Lucretii servus, tacito primo nomine, quod ex analogia ceterorum servorum binominum habere et hic debuit. Vide de his Fabrettum p. 318 seqq. 343 et Marinii *Arval.* pag. 214. *Posierunt* pro *posuerunt* habet quoque lapis Gruter. DXXXIII 9, et *posier.* lapis Augustae Rauricorum apud Orell. (*lat. inscr. coll.* n. 5061); *posiit* Gruter. DCIV 6 : et *posierunt* item habet gabinum marmor a Viscontio editum (*mon. gab.* pag. 15 edit. mediol.), unde pete ejus de hac forma animadversiones. *Deposierunt* est in lapide Liciniae Eucharis apud Gruter. DCLV, 1, in quo INFISTAE quoque pro INFESTAE legitur. Vide praeterea Viscontii *iconogr. rom.* ad tab. XXXVII tom. I §. 2. POSIT item pro POSVIT in pluribus lapidibus deprehendit doct. collega noster Furlanettus, ac recte monet idiotismum, non errorem lapicidarum esse in ea voce agnoscendum. Vide *le antiche lapidi di Este* ab eo illustratas p. 86, 138, 140. POSIT quoque in lapidibus editis a coll. nostro Clemente Cardinali in opere *diplomi imperiali* pag. 189, 90, et alibi.

(43)

A · VEIVS · PHYLAX
N · POPIDIVS · MOSCHVs (sic)
T · MESCINIVS · AMPHIO
PRIMVS · ARRVNTI · M · S
MIN · AVG · EX · D · D · IVSSV
M · HOLCONI · RVFI · $\overline{IV}$
A · CLODI · FLACCI · $\overline{III}$
D · V · I · D
P · CAESETI · PoSTVMI
. . TINTIRI · RVFI
d. V · A · S · P · P
*c. iulio. cae*SARE · $\overline{XIII}$ · CoS
*m. plautio. si*LVANO ·

Est anni urbis 752, ante Chr. 2. Primum in hac epigraphe MINI*strorum* AV*gusti* mentio occurrit, quae appellatio tot vetustati ante hos inventos pompejanos lapides ignota fuit, ni forte huc trahas Augusti illos θύτας, quos cum aula ejus reliqua memorat M. Antoninus εἰς ἑαυτὸν lib. VIII §. 31, ubi Gatakerus θύτας *popas* exponit; etsi tamen videntur hi popae potius sacrificanti imperatori ministrasse. Neque huc trahi possunt *ministri* imperatorum ceteri in lapidibus memorati, ut ex. c. apud Gruterum DIOCLES · TI · CAESARIS · MINISTER · GERMANICIANVS etc. (Gruter. pag. DCII n. 9). Non enim ibi de sacris agitur ministris. Neque est denique quod hic de *ministris augustalibus* a) cogites : vetat enim alius lapis in quo ὁλογράμματον legitur AVGVSTI, suo loco edendus. Etsi enim augustalium collegium primum post Augusti mortem fuerit institutum b), vocis ejus tamen usus fuit illa institutione vetustior. Itaque in cenotaphio, quod vocatur, C. Caesaris pisano, quod Augusto vivente est insculptum, memoratur *T. Statulenus Iuncus flamen augustalis* c). Noti sane *Ministri Larum Aug.* e marmore hoc nolano saepius edito :

FISIAE
SEX · F
RVFINAE
SORORI
FISI · SERENI
AVG
LARVM · MINISTRI
L · D · D · D d).

Horum quoque Augusti Larum ministrorum mentio fit et in grumentino lapide apud Muratorium (pag. CXXVIII n. 6), Gatta (*memor. della Lucan.* part. II cap. 1) et Romanellium (*topogr. istor.* part. I pag. 397) edito. Eorum quoque mentio fieri videtur in hoc lapide quem anno 1820 inventum in veteris Sardiniae urbis ruinis, quam coloniam ad Turrim Lybissonis Plinius vocavit (*hist. natur.* lib. III segm. 13) sic edidit clar. eques Ludovicus Baille (*iscrizione solcitana illustrata pag. 40*):

a) Sane *Martiales ministros* Larini e Cicerone novimus (*pro A. Cluent.* cap. 15).
b) Tacit. *annal.* lib. I cap. 54.
c) Orelli *inscr. latin.* tom. I pag. 164.

d) Gruter. MLXXXVIII 14, Reines. pag. 140, Remondini (*nolana storia* tom. I pag. 89, et 248) qui testatur αὐτόπτης MINISTRI in marmore legi, non MAGISTRI, ut suspicatus fuerat Gruterus.

Digitized by Google

Q · ALLIO Q · FCL
PVDENTILLO
AVG VRI
CVRIAE XXIII ET
MINIST RVM
AVGE RE
COLLATO

Cujus marmoris ut diligentius tres ultimae lineae a doctis sardis exscribantur, maximopere est in votis: etsi eas temporis et hominum injuria male habitas atque incertae esse lectionis monet editor. Ceterum *Augusti ministri*, etsi ca careant appellatione, dicendi certe videntur TRES illi EQVITES · ROMANI · A · PLEBE · ET · TRES · LIBERTINI, de quibus in percelebri narbonensi inscriptione (Gruter. pag. CCXXIX) statutum legimus ut quotannis in Augusti honorem HOSTIAS · SINGVLAS · IMMOLENT, quae res et argumento est, fuisse ministros saepe et ingenuos, ut supra quoque notavimus. Ingenuorum ministrorum mentio est item apud Livium lib. XXXVII cap. 3: *decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique, ad id sacrificium adhibiti:* item apud Athenaeum narrantem ex Dieuchide in Megaricis jussisse Phorbantem ut per liberos homines inferiae sibi post mortem fierent, quare subdit: *καὶ τὸ ἔθος διαμένειν ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Φόρβαντος· ἐλεύθεροι γάρ εἰσιν οἱ διακονοῦντες· δούλῳ δὲ προσελθεῖν οὐκ ἔστιν ὅσιον* (*dipnos.* lib. VI pag. 263). *Magistrorum* vero vel sacerdotum qui Augusto victimam immolarint, nomen saepe in actis Arvalium legimus, ut tab. II, 15 etc.

(14)

L · CAECILIVS · FELIX
Q · LOLLIVS · FELIX
Q · ARRIVS · HIERONI
MINIST · AVGVST
EX · D · D · IVSSV
M · POMPONI · MARCELL
...VALERI · FLACCI
D · V · I · D
A · PERENNI · MERVLINI
L · OBELLI · LVCRETIANI
D · V · V · A · S · P · P
C · CAESARE · L · PAVLLO
COS

Est anni urbis 754 post Chr. I. Repertus est Pompejis anno 1825 in ejus domus ruinis quae tragici poetae a quibusdam nomine indicatur, et in qua musivum quoque cum canis effigie et inscriptione CAVE CANEM, atque nobilissima alia vetustae artis opera sunt inventa. Nota in hoc lapide Q. Lollium Felicem pompejanum Augusti ministrum, et confer quae diximus ad Q. Lollii Scylacis lapidem supra num. I. Q. vero Lollii pompejani addendi sunt ceteris, qui e lapidibus innotuerunt, Lolliis Q. item cognomine praeditis, quorum plurium recensum dedit auctor operis *indicazione antiquaria della villa Albani* edit. 1803 pag. 189. Haud obvium Hieronicae cognomen quod habet Q. Arrius, quae vox et alibi, de sacro tamen victore, occurrit in lapidibus (Gruter. p. CCCXIII 8, CCCXXXI I, vide et Salmas. ad Vopisci *Carinum* cap. 19). Pompejanos anni urbis 754 II viros I. D. et V. A. S. P. P. memorari vidimus, reciprocatis tantum nominibus, et in lapide anni sequentis 755 II. c. quem supra edidimus num. 8, quod nempe ii non Kalendis januariis, ut Romae eo tempore consules, sed medio anno 754 magistratum inierint, eumque medio sequenti anno 755 deposuerint: quam rem et exemplis et veterum legum auctoritate illustravit Avellinius *opusc.* tom. II p. 254 seqq.

(15)

MESSIVS · ARRIVS
SILENVS
M · DECIDIVS · M · M · L
···· AVSTVS · VNG
MIN · AVGVSTI
M · NVMISTRIO · FRONTONE
Q · COTRIO · Q · F · D · V · I · D
M · SERVILIO · L · AELIO
LAMIA · COS

Inventus est Pompejis haud multo ante annum 1823. Pertinet ad anni urbis 756 post Christum natum 3 priores menses: Kal. enim juliis ejus anni M. Servilio et L. Aelio Lamiae coss. constat suffectos fuisse P. Silium et L. Volusium Saturninum. Vide fragmentum fastorum Gabiis repertum edi-

Digitized by Google

tum atque illustratum a Marinio (*Arvali* pag. 24) et de quo consulendus quoque clar. collega noster Cardinalis (*memorie della romana accademia di archeologia* tom. II p. 175 seqq.). Lapis itaque pompejanorum IIvirum nomina habet, qui procedente anno 755 magistratum inierunt, eumque ad procedentem usque annum 756 retinuerunt, idque ea de caussa quam supra indicavimus (*ad inscript. superior.*). Itaque in eo, qui continuo sequitur, lapide et romanorum consulum qui post Kal. julias a. 756 suffecti sunt, et pompejanorum IIvirum qui eodem procedente anno magistratum inierunt, nomina leguntur. Notandum in hoc marmore e ministris unum (M. Decidium MM. L. Faustum) VNG*uentarium* dici, quod pronum est de eo interpretari, qui unguentis conficiendis vel vendendis operam daret. Tales saepe, ut vulgo notum, in lapidibus occurrunt, et de iis consulendus praecipue Marinius (*Arvali* pag. 516). Imperatorum unguentarii quoque memorantur, ut Valentiniani augusti apud Fabrettum (*inscript.* pag. 219). Ceterum suspicari quis posset de sacro quodam unguentario hic agi ministro, quum nota res sit deos deasque saepe a veteribus *unguentatos*, ita ut unguentarius pro unctore accipiatur. Itaque in actis arvalium frequenter illud occurrit DEAM · vel DEAM · DIAM · vel DEAS · VNGVENTAVERVNT (Marini l. c. et pag. 134, 5). Et de deorum istis sive unguentariis sive *unctoribus* (hi quoque saepe in inscriptionibus memorantur) haec habet Seneca apud Augustinum (*de civit. Dei* lib. VI cap. 10): *in Capitolium perveni: pudebit publicatae dementiae, quod sibi vanus furor attribuit, officii. Alius numina deo subjicit, alius horas Iovi nuntiat, alius lector est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt quae Iunoni ac Minervae capillos disponunt longe a templo non tantum a simulacro stantes, digitos movent ornantium modo* etc. Sic ille in libro *contra superstitiones* qui hodie deperditus. De Venere quoque unguentis culta (μύροισί τι δαιδαλεώδοις) praeclarum exstat Empedoclis testimonium ab Athenaeo servatum *dipnos.* lib. XII c. 1: vide etiam Menandri versiculos apud eumdem Athenaeum lib. IV cap. 10, et lib. VIII cap. 17, item Antisthenis ibid. lib. XII cap. 13, et Alexidis lib. XV cap. 13. Apulejus quoque in Isidis pompa vidisse se narrat mulieres *quae pectines eburneos ferentes, gestu brachiorum, flexuque digitorum, ornatum atque appexum crinium regalium* (Isidi) *fingerent*, aliasque *quae ceteris unguentis et geniali balsamo guttatim excusso, conspergebant plateas* (*metam.* lib. XI pag. 171 Oudend.) Atque hac profecto de caussa scripsisse videtur Philodemus in suo περὶ μουσικῆς libro (*papyror. herculanens.* tom. I col. 20) μυρεψικὴν quoque τέχνην posse a quibusdam οἰκεῖαν τῆς εὐσεβείας haberi. Neque hoc loco profecto dissimulandum videtur alterum de unguentatione deorum testimonium quod in papyro herculanensi (περὶ κακιῶν ί) Philodemus idem praebet, quum vocem βρενθύεσθαι derivari posse putat ἀπὸ τοῦ παραδιδομένου θυμιάματος ἢ μύρου τῶν θεῶν βρένθυος (vide *papyror. herculanen.* tom. III col. 21); quae sane Philodemi verba mirati sumus a doctissimis parisiensibus Stephaniani lexici editoribus ad eam vocem illustrandam βρενθύεσθαι opportunissima non esse indicata. Haud ignota quoque est Romanorum dea *Unxia*, quod Iunonis esse cognomen traditur. Notandum praeterea deesse in hac inscriptione sollemne illud IVSSV, quod in ceteris occurrit, nullamque fieri IIvirum V. A. S. P. P. ejus anni mentionem, cujus rei caussa prorsus incerta. Duumvir M. Numistrius Fronto Eumachiae sacerdotis pompejanae filius esse videtur, de quo in aliis pompejanis inscriptionibus suo loco edendis mentio recurrit.

Digitized by Google

(46)

AGATHEMERVS › VE...
SVAVIS › CAESIAE › PRIMAE
POTHVS · NVMITORI
ANTEROS › LACVTVLAN
MINIST › PRIM › FORTVNAVG › IVSS
M › STAI › RVFI › CN › MELISSAEI › DVID
P › SILIO › L › VOLVSIO › SATVRN › COS

Inscriptum arae vel basi quadratae repertae Pompejis mense februario anni 1824 in ipsa Fortunae augustae aede a M. Tullio condita. Vide *Real Museo borbonico* tom. I pag. 19 narrationis de pompejanis effossionibus. Pertinere ad sex posteriores a. u. 756 menses jam supra notavimus (*ad inscr. superiorem*). Quare hoc anno primum Fortunae augustae ministros institutos Pompejis omnino dicendum, absoluta nempe, ut videtur, eo tempore aedis Fortunae aedificatione in qua lapis ipse olim positus et nuper inventus. *Primorum* vero *ministrorum* mentionem invenimus quoque in lapide apud Muratorium p. LXXXV n. 5, qui tamen est ligorianus:

LARIBVS · AVGVST · MIN · PRIMI
GRATVS · NVMISI · LEPIDI
VRBANVS · VINVLEIAE

PRIMA · MINISTRA · MATRIS · MAGNAE est apud Gudium pag. XX n. 8. Frequentius in lapidibus occurrunt *magistri primi:* vide Gruter. pag. LXXVI n. 10, Fabrett. de aquaed. pag. 157 etc. Hos vero *magistros* vel *ministros primos* eos intelligi debere, qui, ut alibi in inscriptionibus dicitur, *magisterium*, vel *ministerium* PRIMI INIERVNT, probatum dedisse videtur Hagenbuchius (apud Orellium *latinar. inscript. collect.* tom. II pag. 571) et Marinius in erudita epistola inserta Viscontii *Musei Pii Clementin.* tom. IV pag. 298 seqq. mediolanensis editionis. Etsi enim saepe *primus* de dignitate usurpetur, idque praecipue in collegiis (unde ex. c. *sex vir augustalis primus* apud Fabrett. pag. 407, *IIIII vir aug. primus* apud Gruter. p. CCCCXLVIII 7, *inter primos collegiuto*, apud eumd. p. CCCCXLVIIII 6, *IIII primi inter tribunos milites*, apud eumd. pag. DVI, ut mittamus collegiorum *quinque primos*, *sexs primos*, X *primos*, *icosiprotos* etc.: vide notata apud Orell. *lat. inscr. coll.* n. 3756, 3846); tamen ministros et magistros *primos* dici, qui temporis ordine ceteros omnes praecesserint, non qui dignitate aliis praecellerent, omnino dubitari non posse videtur. Atque haec vocis *primus* acceptio in fastis quoque frequentissima, ut ex. c. *primus e plebe* Gruter. p. CCXC, *ambo primi de plebe* pag. CCXCIII: et in numis quoque: L · BRVTVS · PRIMVS · COS. Additur quandoque *omnium*, ut HVIC · PRIM · OMNIVM, Murator. pag. DCLXXXI n. 2. Sic in Dioclis agitatoris elogio PRIMVM · OMNIVM · VICISSE legimus (Gruter. pag. CCCXXXVII). In lapide Auximi reperto PRIMO · EQVITI · ROMANO · *post* · COLONIAM · DEDVCTAM · DECVRIONVM · CONSVLTO · COLONORVMQVE · VOLVNTATI (*sic*) · PATROCINIVM · DELATVM · EST. Apud Gruter. pag. MCIII n. 2: QVI · PRIMVS · *quae*STOR · PER · TRIENNIVM · CITRA · *ordine*M · PRAEESSET · AERARIO · SATVRNI. Eodemque sensu in fragmento lapidis Spartae nuper invento ΠΡΩΤΟΝ ΙΕΡεα τῆς ΣεβαστΗΣ memorari opinamur eum qui in ipsa sacerdotii institutione primus illud accepit. Vide clar. Philippi le Bas opus *inscriptions grecques et latines recueillies en Grèce par la commission de Morée*, 2 *cah.* pag. 133, 35. CVRATORES PRIMI memorantur in lapide tiburtino de quo vide Gorium *inscript.*

donian. pag. 48. Notandum neque in hoc lapide fieri ullam IIvirum V. A. S. P. P mentionem, neque in superiori. Ministrorum Fortunae Augustae mentio et in ceteris lapidibus deinde edendis occurrit, quos nostro hoc recentiores esse nemo iverit infiicias. Porro in 2 nostri lapidis linea in voce PRIMAE nexus est litterarum MA.

(47)

. . . . LIO⸗ CoS
. . . .ENTIO⸗

IVSSV

M ⸗ STAI ⸗ RVFI
CN ⸗ MELISSAI ⸗ APRI
D ⸗ V ⸗ I ⸗ D ⸗ ITER
NOVATVM

Inventum hoc fragmentum ante annum 1823. Pertinet ad anni 757 urbis conditae, post Christum 4, menses posteriores, quibus nempe respondet iteratus Stai et Melissaei duumviratus, neque tamen junio ejus anni recentius esse potest: Kalendis enim juliis suffecti fuere Aelio et Sentio coss. C. Clodius, Cn. Sentius, quod patet ex eo, quod jam memoravimus, fragmento fastorum gabino (Vide Marin. *Arval.* pag. 24, et Cardinali *atti dell'accademia romana di archeologia* tom. II pag. 280 seqq.). His inter se comparatis, discimus porro IIviros Pompejis neque kalendis januariis, ut Romae consules, neque juliis magistratum esse auspicatos, sed eo, quod inter utrasque decurrit, tempore, juniis fortasse kalendis; quod et probare videtur legis 28 theodosiani codicis *de decurionibus* cum lege 8 ejusdem codicis et tituli comparatio. Neque in hoc marmore mentio fit IIvirum V. A. S. P. P. De voce NOVATVM jam diximus (*ad inscript.* 8).

(48)

. . . . SV
. . . . LI · CELERIS
. . . . Ↄ
. . . . SE I FlACCI
. . . .
SEX · · · · EIO COS

Fragmentum ante annum 1823 repertum, pertinet ad priores anni urbis conditae 767 menses, post Christum natum 14, quod patet ex consulatu adscripto SEX. *Pompejo*, *Sex. Apul*EIO · COS, qui fuit annus Augusti morte maxime memorabilis (Sueton. *August.* cap. 100). Nomina et tituli pompejanorum magistratuum erosa ac plane incerta. Haud tamen dubitari potest secunda fragmenti linea scripta fuisse IIvirorum I. D nomina: tertia litteras II. V. I. D cujus postremae pars tantum servata Ↄ inversi formam exhibet. Quarta linea erant IIvirum V. A. S. P. P. nomina, quorum alterum sic plane legendum videtur... SEI. FLACCI. Linea 5, quae tota nunc vacat, sollemne illud II. V. V. A. S. P. P. sine dubio exhibuit: postrema consulum nomina.

(49)

INVENTVS⸗DENTAT a) ⸗ DAP
FELIX ⸗ MELISSAEI ⸗ FAVST
NYMPHODOTVS ⸗ HELVI
SPERATVS ⸗ CAESIA E⸗MVS
MIN ⸗ AVG ⸗ D ⸗ D ⸗ IVSSV
M⸗HOLCONI⸗GELLI⸗L⸗AELI⸗TVBER⸗D⸗I⸗D
C⸗VERGILI⸗SALINATORIS⸗CN⸗LVCRETI
DECENTIS ⸗ V ⸗ A ⸗ S ⸗ P ⸗ P
C ⸗ ASINIO ⸗ C ⸗ ANTISTIO ⸗ COS

a) Litteris NT in monogrammate.

Digitized by Google

Inventus anni 1823 februario mense Pompejis, in ipso, quod vulgo Veneris dicitur, templo, basi cuidam ita incrustatus, ut interior facies, in qua inscriptio est, lateret, pura exteriore: pertinet ad priores anni urbis 776 post Chr. nat. 23 menses. Dicitur in eo Inventus DAP*ifer*, ut videtur (conf. Murator. CMXV 5), quod ministri officium vide an ad eas sit epulas referendum quas augustales ceterique sacerdotes instruere solebant, et de quibus conferendus potissimum Marinius (*atti degli arvali* pag. 199, 200, 670). Lin. 4 videtur Sperato Caesiae (servo) MVS*ici* officium tribui, quum satis in marmore perspicuum sit post vocem CAESIAE στίγμα incisum, quo a sequente MVS distinguatur. CAESIAE quoque PRIMAE servum Fortunae Augustae ministrum offendimus supra num. 16. *Musici* plures in inscriptionibus jam noti (vide Gruteri et Muratorii indices et Boeck *corp. inscr.* tom. II p. 40, 62 etc.). Sic et frequentissime apud veteres (Λάμπρος ὁ μουσικός, Athen. lib. II c. 6, τὸν μουσικὸν Ἀλκιβίδην, id. lib. IV cap. 22 etc.). Noster hic videtur a sacris *musicus* fuisse. Qui vero, Augusto vivente, recte dicebantur *ministri Augusti*, post ejus obitum *divi Augusti ministri* dici omnino debuisse videntur. Vel igitur viventis et imperantis Tiberii eo tempore, quo haec inscriptio sculpta est, ministri hic proponuntur (Tiberium vero vel vivente Augusto flaminem perpetuum Pompejis habuisse probare videtur inscriptum parieti λῆμμα VALENTIS · FLAMINIS · NERONIS · AVG · F · PERPETVI editum *dissertat. isagog.* tab. 9); vel omnino dicendum eos ministros qui, Augusto adhuc vivente, rectissime AVGVSTI dicebantur (sic ὁλογράμματον legimus in inscriptione hujus classis 15), potius AVG*ustales* MIN*istros* post ejus obitum dictos, exemplo nempe eorum augustalium, quorum constat sacerdotium hoc nomine, mortuo demum Augusto, institutum anno urbis 767 (Tacit. *annal.* lib. I c. 54). Certe in lapidibus his nostris pompejanorum ministrorum, post Augusti mortem positis, nunquam integra vox AVGVSTI occurrit, ut in eo, quem supra laudavimus, sed semper τὸ AVG. legitur, quod AVG*ustales* licet intelligere. Redit in hoc lapide duumvirum V. A. S. P. P mentio quae in superioribus, qui supersunt post ann. urbis 754, omissa. Hic vero deest nota D*uum vir*, vel IIV*ir*, quod vel desidiae lapidarii tribuendum, vel idcirco factum, quod recitatis duorum nominibus ea nota quasi παρέλκειν visa est.

(20)

. . . .

IVSSV
M · ALLEI · LVCCI · LIBELL
M · STLABORI · FRONToN
IIVIR · I · D · QVINQ
Q · POMPEI · MACVLAE
MFVLVINI · SILVA*ni*
DV · V · A · S · PP
C · CALVI SIO · CN .....
COS

Repertus ante annum 1823 haud longe ab Eumachiae aedificio. Vide Mazois *ruines de Pompéi* tom. III pag. 44 et Iorio *guida di Pompei* pag. 71. Pertinet ad priores anni urbis conditae 779, post Christum natum 26, menses, quo anno ordinarii consules processere C. Calvisius, Cn. Lentulus. Porro M. Allejum Luccium Libellam et M. Stlaborium Frontonem opinamur quo anno lapis hic scalptus est, QVINQ*uies* duumviratum I. D. gessisse, neque de quinquennalitatis honore hic esse cogitandum. Etsi enim in inscriptionibus honorariis possit idem et IIV*ir* I. D. et QVINQ*uennalis* dici, quod a duumviratu ad quinquennalitatem progressus fuerit, non videtur tamen eadem res facile admittenda in hac, de qua agimus, inscriptione, in qua ἐπώνυμοι anni magistratus indicantur. Quare quum non potuerint Libella et Fronto uno eodemque anno et IIviratu juri dicundo et quinquennalitate fungi, restat ut dicamus eos anno urbis 779 QVINQ*uies* Pompejis IIviros I. D. processisse. Ceterum quinquennales duumviros uti ἐπωνύμους, neglectis IIviris I. D., consulibus romanis adjungit inscriptio Brixiae reperta, et Veronam translata, quam

Fabrettus e schedis Barberinis edidit pag. 656, emendatius deinde ab aliis edita. Vide Orellii *inscript. collect.* n. 1972.

(21)

. . . . . .
. . . . . .
AVG
IVSSV
. . . . I · II · VIR · I · D
. . . NI · D · V · V · A · S · P · P
. . . . SANQVINIO · COS

M. Sanquinii suffectum priorem consulatum fasti vulgares referunt ad annum urbis 782, quos tamen e fide fastorum municipalium apud Nolam inventorum (Gruter. pag. MLXXXVII n. 1) emendat Norisius *epist. consul.* pag. 10, 11, suffectos eo anno suggerens A. Plautium, L. Nonium Asprenatem. Itaque quo anno M. Sanquinius consulatum obtinuerit, incertum; quod tamen ante annum urbis 782 omnino fieri debuisse docuerat jam clariss. Borghesius *osservaz. numism. decade IV osserv. 8, giornal. arcad. marzo* 1822 pag. 365, qui deinde ex hoc ipso nostro pompejani marmoris fragmento colligit Sanquinii suffectum consulatum ad annum urbis 779 esse referendum. Vide *giornal. arcad.* vol. 49 pag. 294 ubi et de Sanquinio plura colliguntur. Optime autem haec cum marmoris superioris et hujus fide conveniunt. Quum enim superius marmor prioribus anni 779 mensibus positum fuerit, addita consulum ordinariorum mentione, et pompejanorum duumvirum qui anno 778 procedente magistratum iuierunt, potuit sane hoc marmor ejusdem anni 779 posterioribus mensibus poni cum suffectorum consulum et eorum IIvirum mentione, qui procedente anno eodem 779 potestatem sunt adepti. Fuisse vero IIviros I. D. hujus marmoris ab iis qui in superiore memorantur, plane diversos, praeter alia et illud probat, quod nota QVINQ deficiantur, quam in superiore marmore deprehendimus. Ceterum vulgares fasti suffectos consules anni 779 agnoscunt Q. Marcium Barcam, T. Rustrium Nummium Gallum, idque ex auctoritate lapidis hispani, quem vide apud Gruter. pag. CCXXXV n. 10.

(22)

. . . . . .
V · A · S · · · ·
A · PLAVTIO · A · · · · · ·

Constat fuisse A. Plautium suffectum consulem cum L. Nonio Asprenate anno urbis 782, post Christum 29. Vide praeter ceteros Norisii *epistolam consularem* pag. 11. Ergo mensibus hujus anni posterioribus positum hoc marmor, e quo Plautii, quod adhuc ignoramus, cognominis litteram ἀρχαΐζουσαν A. . fuisse docemur. Inventum fragmentum Pompejis ante annum 1823.

(23)

. . . .
. . . A E S A . . .
. . . VG · V̄ ·
. . . M I N I S · A . . .
. . I V A R . . .

Marmor, vel potius fragmentum inventum Pompejis ante annum 1823. Pro litteris quae nunc leguntur. . VG. V̄ alias habuit, quibus sedulo erasis hae superinductae. Quibus de caussis ad urbis conditae annum 784, post Christum 31, referendum arbitratus est Avellinius, Sejani consulatu et Tiberii quinto in fastis nobilem: quorum consulum quum in pluribus monumentis nomina fuerint inscripta, rasum vel alio modo deletum Sejani nomen, manente nomine Tiberii, apparet. Vide ejus *opusculorum* tom. II pag. 203 seqq. Videtur post notam numeralem secundae lineae V̄ punctum quoque in marmore insculptum. Vltimae lineae elementa supplere quis ita potest, ut efficiatur IANVARIVS, ministri, ut videtur, nomen.

(25)

PHILIPPVS · MELISSAEI ·
FAVSTI ·
IANVARIVS · PIRICATI ·
QVARTIONIS ·
IVCVNDVS · HOLCoNI ·
ANTEROTIS ·
AVCTVS · HELVI ·
NYMPHODOTIS
MINISTRI · AVG
IVSSV
M · LVCRETI · MANLIANI · L · ALBIENI · STAI · IIV · I · D ·
L · EVMACHI · FVSCI · N · HERENNI · VERI · D · V ·
V · A (sic) · S · P · P ·
CN · DOMITIO CAMILLO · ARRVNTIO a)
· COS ·

Nobilis lapis inventus circa annum 1820 basi insculptus in privatis aedibus pompejanis, ita ut antica pars, in qua erat inscriptio, crusta ex albario contecta lateret (Vid. de Iorio *guida di Pompei* pag. 76). Spectat ad priores menses anni urbis 785, post Christum 32. Ejus enim anni mensibus posterioribus constat A. Vitellium suffectum Camillo. Vide Norisii *epist. consularem* pag. 15 qui recte adversus Panvinium aliosque fastorum scriptores probat Camillo Vitellium suffectum fuisse, non contra. Itaque Ianuarius minister qui in eo memoratur, idem esse videtur, cujus nominis et in lapide superiore, qui anno tantum hunc antecedit, λείψανα deprehendi posse jam diximus. N. Herennii aedilis (ejusdem fortasse qui in nostro hoc lapide memoratur) mentio non infrequens est in parietinis pompejanis, ut ex. c. tab. 10 *dissertationis isagogicae ad hercul. volum. explic.* De Camillo Arruntio, novas res molito sub Claudio (Tacit. *histor.* lib. II c. 75, *annal.* lib. XII cap. 52, Sueton. *Claud.* c. 13 etc.), cujus nomen propter eam caussam e marmoribus erasum aliquando novimus, vide quae attulit Avellinius in hoc marmore illustrando (*opusc.* tom. II pag. 262), et confer cum iis quoque quae habet Fontaninius *de antiquit. Hortae* lib. I c. 7 pag. 52. Quum vero haec basis in privatis aedibus inventa fuerit, obliterata quo epigraphe, satis patet illam cum ceteris ejusdem generis monumentis Neroniano forte terraemotu dejectis ac vexatis jam publico usui non amplius inservisse, quum sub Tito extremam passi sunt cladem Pompejani, ac proinde ad *tigni aedibus juncti* (ut cum jurisconsultis loquamur) conditionem esse redactam. Id vero in veteribus monumentis usu olim venire consuevisse non seriore tantum aetate, sed et ea qua litterae maxime florebant, probant e Pompejanis ruinis petita exempla complura: quibus nuper haud absimile accessit e coloniae Faleriensium Piceni theatro, in cujus λειψάνοις item deprehensae sunt veteres inscriptiones lapidum vice aedificio inclusae. Vide *annales archaeologici instituti* anni 1839 p. 20. Ceterum notatu digna est lapidis scriptura propter puncta quae in extremis septem prioribus lineis, item octavae (singulari forma), 11, 12, 13, et 15 lineae fine notantur. Desunt vero ea in voce IIV lineae 11, et inter voces *Domitio* et *Camillo* penultimae lineae. Ante extremam vocem cos lineola in marmore insculpta. In formula vero solemni V · A · S · P · P · littera A sic sine lineola exhibetur, exemplo haud infrequenti et in ceteris inscriptionibus. Vide Cardinali *dipl. milit.* p. 100, 127.

a) Litteris TI in monogr.

(25)

..ARIVS
..ENNIV
..NDER
..ITALIS
..ISIVS·FELIC
..OM · LVCRETIO
..VSSV·
..I·VERI·LE·VMACH
..V · A · S · P · P ·

Ad eumdem annum urbis 785, post Christum 32, pertinere hoc fragmentum videtur, cum idem sit in eo, quod in superiore est, IIvirum I. D. et V. A. S. P. P. collegium, reciprocatis tantum, ut fieri solebat, nominibus. Idem quoque videtur in utroque marmore memorari Ianuarius minister, ceterorum variantibus nominibus. Quare patet aliud ab eo, de quo in priore lapide fit mentio, sacrum id fuisse, quod in hoc memoratur, iisdem tamen Pompejanorum magistratibus rempublicam administrantibus. Itaque prius illud jussu utriusque IIviralis collegii, hoc alterum jussu tantum IIvirum V. A. S. P. P. factum dicitur, nominibus IIvirum I. D. ablativo casu positis, quod in ceteris hujus generis inscriptionibus rarius occurrit. Potest vero hic lapis et ad superioris anni urbis 784 extremos menses referri, quibus ex recepto more magistratum jam inierant IIviri iidem qui illum et prioribus anni 785 mensibus gessere. Fragmentum Pompejis repertum anno 1822 in eo aedificio quod Pantheon vulgo vocant, et in quo praeclarae duae marmoreae Liviae, ut videtur, et Drusi statuae sunt inventae. Erat lapis obversus ac pavimento incrustatus, ea profecto de caussa quam ad superiorem lapidem indicavimus. Puncta diligenter expressimus ut in marmore signantur.

(26)

.... MVS·MESSI·FAVSTI [a])
... CIDVS · VEI · FRONTONIS
A · ARELLIVS · GRAECVS
MIN · AVG · EX · D·D·IVSSV
///////// M · VESONI·MARCELL [b]).
II · VIR·I·D
M LVCRETI · EPIDI · FLACCI
PRAEFECTI
L·ALBVCI·D·LVCRETI·II·VIR·V·A·S·P·P
PAVLLO · FABIO · L · VITELLIO
COS

Lapis Pompejis repertus ante annum 1823, spectat ad urbis conditae anni 787, post Christum 34, priores, ut videtur, menses; insignis propter erasum prioris IIviri I. D nomen, quod ex sequenti lapide constat C. CAESARIS (Caligulae nempe) fuisse, pro quo scilicet praefectus Pompejis erat M. Lucretius Epidius Flaccus. Latius haec leges in Avellinii *opuscol.* tom. II pag. 209, 10. Caligulae quoque nomen erasum videtur in marmore gruteriano pag. CLXXX n. 7. Ministri nomen in I linea suppleri potest *Phronimus:* quod in secunda linea nomen legitur, habuisse videtur ante litteras CIDVS litteram R potius quam A, ni fallunt vestigia. An itaque legendum *Marcidus*?

(27)

. . . .
...........CRE ·.. EPIDIFLA....
C · CAESARIS
L·ALBVCI·CELSI·D·LVCRETI·VALENTIS
II·VIR·V·A·S·P·P
PAVLLO·FABIO·L·VITELLIO·CoS

Ad eumdem annum pertinere probat et hoc fragmentum (inventum quoque Pompejis ante annum 1823) eorumdem IIvirum pompejanorum et consulum mentio. Hic tamen M. Lucretius Epidius Flaccus dicitur *praefectus C. Caesaris*, non *praefectus* tantum, ut in marmore superiore. Quod sane probare videtur alterum hoc a priore illo in eo tantum discrepasse, quod in illo nempe ipse C. Cae-

a) Litteris TI in monogr.

b) Littera major L est duarum litterarum LI nexus.

sar inter IIviros pompejanos I· D· indicabatur, tertiusque addebatur praefectus Epidius: in hoc vero IIvirorum I· D· nomina posita fuerunt M. Vesonii Marcelli, et M. Lucretii Epidii Flacci, addito praefecti C. Caesaris titulo. Ceterum notandum nomina hic non esse reciprocata. Sacrum, de quo in hoc marmore, diversum putamus ab eo, de quo in superiore fit mentio: quorsus enim repetita de uno eodemque sacro fuerit memoria? Notatu quoque digna res est, C. Caesaris nomen, quod in superiore marmore erasum fuit, integrum in hoc manere; quod factum opinamur vel quod latuerit marmor, vel quod in frusta fortasse potius, uti nunc est, post Caligulae caedem fuerit excisum. Ceterum *C. Caesaris* et *C. Caesaris Augusti* nomine, etiam non addita *Germanici* appellatione, saepe in inscriptionibus Caligulam intelligi monuit jam quoque clar. Borghesius in *giornal. arcad.* vol. 49 pag. 230 seqq.

(28)

....
..............ADEPTVS
..........SIVS · FELICIO
mmmmmm · M · EPIDIO · FLACCO
QVINQ · M · HOLCONIO MACRO
PRAEF · I · D · L · LICINIO · C · ADIO
VIR · V · A · S · P · PROC

Inventum Pompejis inde ab anno 1758, diu tamen ἀνέκδοτον et neglectum, quantivis pretii fragmentum propter litteras PROC quae in extrema linea locum tenent solitarii ejus P, quod in ceteris omnibus occurrit. Etsi desint consulum nomina, ac proinde aetas marmoris certo statui nequeat, hoc tamen loco exhibuimus propter ejus cum duobus superioribus affinitatem. Etenim et in hoc marmore erasum primi IIviri I· D· nomen, quod ideo C. Caesaris quoque (*Caligulae*) fuisse videtur, ut in marmore 26: cujus tamen praefectus anno ad quem marmor hoc pertinet, fuit M. Holconius Macer, assumto ad ipsum IIviratum collega M. Lucretio Epidio Flacco, eo ipso, quo C. Caesar praefecto est usus anno urbis 787: quo quidem honore Flaccum QVINQuies esse tunc functum e lapide hoc constat. Notandum inter ministros..... *sii Felicionis* nomen, quod et in marmore 25 occurrit, et frequentissimum fuit etiam apud Herculanenses, quum decies legatur in catalogo eorum civium basi insculpto atque edito *dissertat. isagog. ad hercul. volum. explicat.* tab. 15, 16. Ceterum nullo certo argumento dignosci potest sitne hic lapis praecedentibus duobus vetustior, an posterior; neque illud quoque certo constat, ad annos Tiberii principatus esse referendum. Potuit enim Caligula etiam Augustus inter pompejanos IIviros referri, ac praefecto uti Macro. Notandum quoque lin. 4 HOLCONIO MACRO scribi non interposito puncto, atque in penultima marmoris linea L · LICINIO legi diserte non T · LICINIO, ut quidam dederunt. In ultima linea VIR legitur, non IIVIR ut alibi, quod studione factum fuerit an scalptoris desidia, nemo facile dixerit. Meminimus et supra integrum IIVIR omitti (vide num. 19). Et sane exstant quoque alia exempla τοῦ V pro IIVIR positi, ut nuper et in venusina hac inscriptione est deprehensum:

C · LVCCIVS · C · F · HOR
V · I · D · VENVSIA
M · LVCCIVS · C · F · HOR · II
VIR · I · D · DESIGN · VENVSIA

Vide clar. Guarini dissertationem *di alcuni tegoli scritti* pag. 19, qui opinatur V pro IIVIR scribi solitum, quum unus e collegis naturali vel civili morte sublatus fuisset; quod tamen secus se habet in nostro hoc marmore pompejano ubi duo sunt viri, et tamen formula VIR indicantur. De abusu eradendi nomina in inscriptionibus, atque alia superinducendi, exstat apud Ulpianum mentio leg. 2 §. 2 *digest. de operibus publicis: ne ejus nomine, cujus liberalitate opus exstructum est, eraso, aliorum nomina inscribantur, et propterea revocentur similes civium in patrias liberalitates, praeses provinciae auctoritatem suam interponat.*

(29)

MARTIALIS · C · OLI · PRIMI
AN · SALARIVS · CROCVS
PRIMIGENIVS · C · OLI · PRIMI
MIN · FORTVNAE · AVG
IVSSV
Q POSTVMI · MODESTI · C · VIBI · SECVNDI
D · V · I · D
C · MEMMI · IVNIANI · Q · BRVTTI · BALBI AEDIL
... V V I O · P CLODIO · COS

Titulus inventus Pompejis in ipsa basilica ante annum 1815. Recentior est anno urbis 756 quo ministri Fortunae Augustae primum instituti. Vide supra ad num. 6. In fastis ad ann. urbis 798 suffecti consules e kalendis juliis exhibentur M. Cluvius Rufus, et Pompejus Silvanus; qua de caussa ad hunc annum referendus lapis hic videtur e cl. Guarinii sententia (*fasti duumvirali* pag. 137), et fasti ex eo vel corrigendi , vel certe supplendi. De Cluvio Rufo vide Dionis lib. LXIII cap. 14 et quae dat Reimarus ad eum locum. Nota in lin. 6 hujus marmoris QPOSTVMI legi , et lin. 8 BALBIAEDIL., et lin. extrema PCLODIO nullo interposito στίγματι.

(30)

TAVRO · STATILIO
TI · PLATILIO · AELIAN · COS
L · STATIVS · FAVSTVS · PRO
SIGNO · QVOD · E LEGE · FORTVNAE
AVGVSTAE MINISTORVM · PONERE
DEBEBAT · REFERENTE · Q POMPEIO · AMETHYSTO
QVAESTORE · BASIS DVAS MARMORIAS · DECREVER..'T
PRO SIGNO PONIRET

Inscriptum basi marmoreae , quae in ipsa Fortunae Augustae aede pompejana reperta est anni 1824 februario mense cum alia simili , itemque litterata , quam supra dedimus num. 16. Vide *real museo borbonico descrizione degli scavi* tom. 1 pag. 19, Jorio *guida di Pompei* pag. 60. Consulatus Tauri Statilii cum Ti. Platilio Aeliano fastis ignotus: quum vero marmor hoc propter Fortunae Augustae ministrorum mentionem anno 756, quo hi primum instituti sunt (vide supra ad n. 16), vetustius esse non possit , opinatus est cl. collega noster Borghesius Ti. Platilium Aelianum , qui in eo consul memoratur , diversum non esse ab eo Ti. Plautio M. filio A. nepote Silvano Aeliano , cujus et apud Tacitum (*annal.* lib. XIII cap. 32) et in tiburtina celeberrima inscriptione est mentio (Gruter. p. CCCCLIII n. 1 [a])). Fuit hic sub Claudio primum cos. , iterum vero sub Vespasiano: fasces tamen ejus priores ad annum urbis 800 vulgo referuntur, quos cl. Gua-

a) Diversum hunc esse ab A. Plautio , cujus de Britannis vel ovationem vel triumphum memorant Dio lib. LX c. 30, Sueton. *in Claud.* c. 24, Eutropius lib. VII c. 13 , et ad quem trahit quoque Taciti locum *ann.* lib. XIII c. 32 , opinatus est Reimarus ad Dion. l. c. , ubi vide quae habet.

rinius opinatur ad annum urbis 797 potius retrahendos, quo anno T. Statilius Taurus consul cum C. Vibio Crispino vel Crispo in fastis exhibetur. Sed jam Norisius (*epist. consul.* pag. 30) e Gruteriana inscriptione pag. MXLI n. 10 docuit par hoc consulum sic esse refingendum: *L. Quinctio Crispino II, M. Statilio Tauro cos.* Vide tamen notata a Marinio (*arval.* pag. 17). Quum vero sequente anno 798 consul in fastis occurrat Statilius Corvinus (idem certe qui in arvalium tabula nona *Taurus Statilius Corvinus* dicitur, qua de re vide Norisium *l. c.* p. 31), praestat et hunc Taurum Statilium in pompejana inscriptione agnoscere, eique collegam datum Ti. Aelianum: quare inscriptio ad annum urbis 798 est potius referenda, quae est cl. Borghesii quoque sententia (Vide *annal. dell' istit. archeol.* 1839 p. 158). *Platilius* vero dici potuit Aelianus hic, vel nominis corruptione (multa enim sunt in lapide supina prorsus negligentia exarata nec difficilis error propter ὁμοιόπτωτον nomen STATILIO), vel forte quod duplici gentis nomine est usus, Plautiae et Platiliae, quod eo aevo non infrequens. In ipsis hisce inscriptionibus pompejanis ejus rei exemplum habemus, quum M · DECIDIVS · PILONIVS · RVFVS cum duplici gentis nomine in una ex iis memoretur, qui in altera dicitur M · PILONIVS · RVFVS. Vtramque suo loco dabimus. Eodem pacto M. Lucretius Epidius Flaccus in inscriptionibus 26, 27 memoratus, dicitur in 28 M. Epidius Flaccus. Cui tamen sententiae illud obstare videtur quod in tiburtina epigraphe solo PLAVTII nomine Aelianus indicetur, in qua alterius gentis nomen haud facile omitti debuerit, si eo uteretur. Ceterum epigraphes ipsius sensus haud plane perspicuus, quum neque quis fuerit L. Statius Faustus (minister tamen fuisse videtur), nec quid sit *lex* ista *ministorum* (sic) *Fortunae Augustae*, liquido ex ea doceri possimus. Turbat et illud DECREVERVNT, quod satis de quibus dicatur non apparet. *Bases duas marmoreas* intelligere possumus, quae in ipsa aede inventae, altera cum inscriptione quam dedimus num. 16, memoriam primorum Fortunae Augustae ministrorum refricante, altera cum hac. Voces BASIS, MARMORIAS, PONIRET sunt praevalentis ἰωτακισμοῦ perspicua argumenta, cujus et e ceteris inscriptionibus firmatur auctoritas.

(31)

L · NVMISIVS · PRIMVS
L NVMISIVS OPTATVS
L · MELISSAEVS
PLOCAMVS
MINISTR · FORTVN · AVG
EX · D · D · IVSSV
L · IVLI · PONTICI · P · GÁVI · PÁSTÓRIS
D · V · I · D
Q · POPPAEI · C · VIBI · AEDÍL
Q · FVTIO · P · CALVISIO · COS

Inventus est lapis et hic haud longe a pompejana basilica circa annum 1814. Vide Jorio *guida di Pompei* pag. 69, 70. P. Calvisium Rusonem suffectum consulem referunt Jansonii fasti ad annum urbis 814. Norisius tamen (*epist. consul.* pag. 38, 9) cum eum L. Caesennio Paeto (Gruter. pag. LXIV n. 9) incerto anno suffectum consulatum gessisse arbitratur. An idem sit hic P. Calvisius Q. Futii collega, pro certo affirmari non posse videtur. P. vero Calvisium, non Q. dat marmor, quod miramur contra marmoris ipsius fidem adhuc doceri in recenti opere (*tituli nonnulli Allifani* etc. p. 29), ubi Allifana haec quoque editur ad Futiam gentem pertinens inscriptio:

T · FVTIVS
PRAEFECTVS
CASINATVM

Vides in pompejano hoc marmore, uti et in aliis, accentus signari, de quibus novam plane doctrinam traditam nuper accepimus a germano Rittero. Vide Zimmermanni diarium *Zeitschrift* ann. 1835 p. 93.

(32)

GRATVS · ARRI
MESSIVS · ARRIVS
INVENTVS
MEMOR · ISTACID
...IAVG . MERC . MAI
D·D· IVSSV
..........MARCEL
....

Inventus est Pompejis ante annum 1823. Sintne in hoc marmore Augusti ministri memorati, an potius Fortunae Augustae, dubium videri posset; nam ante vocem AVG plane incertum est an T olim littera (*Fort*) extiterit. Sed omnem dubitationem eo tolli videtur, quod angustum nimis sit spatium, ubi litterae MIN· FORT· supplendae essent, ac vix trium litterarum MIN capax. Propter Marcelli IIviri I· D· nomen lapis et ad ann. 754, et ad 787 referri potest. Priorem praeferimus ea de caussa, quod eumdem Messium Arrium ministrum Augusti biennio serius (in inscr. anni 756 supra num. 15) iterum memoratum invenimus. Hoc si verum, non est quod amplius de lectione *ministri Fortunae Augustae* in hoc lapide cogitemus, qui serius instituti. Augusti vero vel Fortunae Augustae ministros Mercurio Majae sacrum quoque fecisse mirari nemo debet: quum Augustales ipsos non modo eodem tempore et *Claudiales* dici (Murator. pag. CXCI) et *Flaviales* constet (Morcell. *de stilo* tom. I. pag. 51), sed Mercuriales aliquando et Herculaneos fuisse quoque inveniamus; vide Avellinii *opusc.* tom. II pag. 264 seq. Sic et in lapidibus patavinis *Concordiales* quidam memorantur, qui eodem tempore erant et Augustales. Vide clar. Furlanetti *le antiche lapidi del museo di Este etc.* p. 76 seqq.

(33)

....
...IIO . SITTI . M . S
..S . SORN . T . S
..ᴺᴵA . VOLVSI . T . S. (sic)
..RI . MERC . MAI
...ACR . IVSSV
...II . CELERIS
....

a) Litteris NI in monogr.

Inventus ante annum 1823 Pompejis. Propter mentionem IIviri. . . II · CELERIS ad annum urbis 767 referri potest (vide supra num. 18). Fuere tamen et alii cognomines aliorum annorum IIviri. Vide infra n. 35. Littera S *servum* indicari probavit quoque cl. Furlanettus operis, quod nuper citavimus p. 19, 20.

(34)

LCEIVS · DORYP......
CNALLEIVS · M.......
ALEXAND ....
M I ....
M I ....
....

Inventus anno 1780 Pompejis. Inter primos est ergo qui ex omnibus id genus lapidibus lucem viderint. Nota in 1 et 2 linea post praenomina L, CN puncta abesse. In extrema linea post MI, videtur V olim in marmore sculptum fuisse.

(35)

NARCISSVS · POPIDI
MOSCHI
NYMPHODOTVS · CAPRAS
IVCVNDI
MIN · AVG · · · D · IVSSV
P·VETTI·CELERIS D·ALFIDI

Inventus etiam Pompejis ante ann. 1823: Popidius Moschus, (an idem cujus hic servus Narcissus Augusti minister dicitur?), et ipse hoc ministerio functus. Vide supra num. 13. Lin. ext. Inter CELERIS et D abest punctum. Horum vero IIvirum nomina integriora exhibet lapis nuper Pompejis detectus, auctore Guarinio (*commentar. IX* edit. 1840 pag. 20), qui sic exhibet:

APOLLONIVS a)
BADI · PRIMI
MIN · AVG · D · D
IVSSV
D · ALFIDI · HYPSAEI
P. VETTI · CELERIS
..VIR · I · D
....
....

(36)

COMMODVS · STRON [a])
MENOPHIL · ANCARS
FELIX · HELVI
. . . IDVS · ARRI ·
...............SACR ·

Inventus Pompejis aute ann. 1823.

(37)

TERTIVS
EPAPHRA
HABER
CITVS
ISTACIDIAE·L·F·MIN·AVG
EX · D·D
TI · PÆEI · · ·

Inventus etiam ante annum 1823. Istacidiam publicam Pompejanorum sacerdotem memorat lapis pompejanus suo a nobis loco edendus. Quatuor ex ejus familia omnes Augusti ministros nominat hic lapis: quae res prorsus singularis, quum in ceteris omnibus vel cum ingenuis servi memorentur, vel si omnes servi, non omnes ejusdem domini. Istacidiae servum Memorem (vel forte Istacidii cujusdam) vidimus supra num. 31. Notandum ministri nomen HABER e Graeco ἁβρὸς, quo cognomine et herculanensis civis indicatur in catalogo eorum edito *dissertat. isagog. ad hercul. volum. expl.* tab. 15. Quare videtur id cognomen novissimae Forcelliniani lexici editionis supplementis omnino inserendum. E graeco vero ἁβρὸς dictus HABER eodem pacto quo graecorum φαιδρὸς Latinis est PHAEDER in inscriptionibus. Vide Guasco *mus. capit.* tom. II pag. 194, Lupuli *iter venus.* pag. 330, Gruter. pag. MCXI n. 3 etc. Plane vero cum nostra hac inscriptione comparandum λῆμμα quod clavo vel stilo parieti pompejanae basilicae inscriptum sic legit atque edidit cl. Wodsword in praeclaro libello *inscriptiones pompejanae* Londini impresso anno 1837 (pag. 9 seqq.):

AMIANTHVS EPAPHRA TERTIVS LVDANT CVM HEDYSIO [b]) IVCVNDVS NOLANVS PETAT NVMERET CITVS ET STACVS AMIANTHVS

Vide et quae opportune notat ad illustrandum Epaphrae (*Epaphroditi*) nomen Pompejis frequentissimum, ubi et Bentleji meminit doctissime de nominibus graecis propriis in ΑΣ exeuntibus more suo disserentis, quae Latini modo in *as*, modo in *a*, ut in pompejanis nostris inscriptionibus perpetuo fit, exire voluerunt. Vide viri doctissimi *epistolam ad Millium* pag. 517 seqq. *opusculorum philologicorum*, edit. lipiensis anni 1781. De his nominibus quaedam et nos supra attigimus ad inscriptionem 11, e qua, uti ex ceteris bene multis (10, 12, aliisque mox edendis) satis patet, nominum hujusmodi, servilium ut plurimum, atque ὑποκοριστικῶν usum fuisse frequentissimum, ut alibi, sic quoque Pompejis. *Dama*, qui occurrit in inscriptione 12, idem est nomen quod apud Persium occurrit in pervulgato illo: *momento turbinis exit Marcus Dama* (*satyr.* V v. 78). In lapidibus vel apud Gruterum habes modo DAMA modo DAMAS, nomenque *Demetrii* diminutionem esse opinatur Bentlejus *l. c.* Plura et ex his nominibus libertorum in catalogo herculanensium civium occurrunt *dissert. isagog.* tab. 14, 15, 16. Fuisse tamen nomina et viris dignitate conspicuis in usu probat inter cetera ΠΑΠΙΑϹ ille magistratus in quibusdam Graecarum urbium numis, de quo vide quae notavit nuper cl. collega noster Cavedonius in praestanti opere (*spicilegio numismatico* pag. 190, 239), ut praetereamus *Antipae* nomen quod ab *Antipatro* deducitur, fuitque Herodis tetrarchae proprium (Vide Cavedon. *ibid.* pag. 289).

(38)

M · NAEVI.....
....NAEVI.....
.......NISTR·F....
............D·I....
. . . .

Patet ministrorum Fortunae Augustae factam hic mentionem fuisse. Inventum est fragmentum etiam ante annum 1823.

a) Litteris TR in monogr.

b) Vel potius HEDYSTO.

Digitized by Google

(39)

N POPIDIVS AMP....
L CAECILIVS CER....
SVAVIS OPPIOPT......
IIODVS STALLI'.......
. . . .

Illustre fragmentum propter N. Popidii Ampliati nomen, qui vel idem est, cujus reperta est in templo Isidis memoria, quam supra dedimus num. 3, vel certe ὁμώνυμος. Inventum eodem quo superiora tempore. Punctis omnino caret. Nomen ministri in 4 linea *Idodus* vel *Irodus Stallii*, ni fallunt vestigia.

(40)

M · SA (ut videtur
Inventus ante annum 1823.

(41)

N · POPIDIVS M ....
C LARVSCAEC.....
. . . .

Inventus quoque ante annum 1823. *Popidii Moschi* ministrum Narcissum dat lapis 35. In hoc ipse N. Popidius Moschus, ut videtur, in ministrorum numero occurrit, in quo fuit certo anno urbis 752 (vide supra num. 13), et fuit quoque gentilis ejus N. Popidius Ampliatus (vide supra num. 39).

(42)

. . . .
C · COI.......
Q · LOLL.....
F E L I C I.....
. . . .

Inventus quoque ante annum 1823. Q. Lollius Felix occurrit supra num. 14 inter ministros anni urbis 754. In tertia linea FELICI*onis* ministri nomen latere videtur.

(43)

...OLC....
...MINI...
...TRÓ/ ..

Inventum fragmentum et ante ann. 1823. In prima linea lectum olim Holconii nomen facile quis suspicabitur.

(44)

PHILA...

Fragmentum (quod et incertum plane situe ad marmora sacrorum ministrorum referendum) inventum est et ante annum 1823.

(45)

. . . .
...RTVNi.....
...!II · PR....
......IDI·N....
EXDD ·
...LOLLI·PONTI...
...ABONI · IVC...

Nunc in duo dissectum, et quasi duorum marmorum fragmenta editum ab Avellinio (*opusc.* tom. II p. 224). Constat tamen e pompejanarum effossionum ephemeridibus anno 1758 lapidem inventum, jam quidem mutilum, aliquanto tamen quam nunc est integriorem, in quo haec tum legi potuerunt:

IOC
S
VS · CLYMEI
ORTVNA - T
III · PR
POPIDI · N
EX · D · D · IV
OLLI · PONTI
ABONI · IVC

Videntur ergo, instituta cum similibus lapidibus comparatione, prioribus lineis ministrorum nomina contineri (inter quae notatu maxime dignum est POPIDI · N · · · sive ministri, sive potius ejus, apud quem

minister quidam servierit, nomen), post vero sollemne illud EX · D · D · IVSSV duumvirum I · D · nomina recitari, misere tamen foedata ac mutila. *Lollium Ponticum*, et *Sılaborium Iucundum* exsculpi posse ex his litterarum reliquiis, haud injuria quis opinetur. *Sılaborium Frontonem* II virum I · D · vidimus jam anno urbis 779 num. 20. In secunda linea legendum videtur .... *lii Pr*..... littera L, ut fieri solebat, alias excedente. Popidii cognomen abruptum lin. 3 post N litteram V vestigia exhibere videtur. In ultima linea pro *Iuc*... legi possit et *Luc*.... Prius tamen praeferimus.

(46)

....
...EX › D › D › IVSSV
...LI › A › AVDI......

Inventum quoque ante annum 1823. Videtur legendum in extrema linea *A. Audii*...

(47)

....
DOI.....
MIN.......
M · VES......

Inter musei regii fragmenta et hoc invenimus, quod ad pompejanos ministrorum lapides omnino referendum videtur. Comparandus cum lapide, quem supra edidimus n. 26 et in quo M. Vesonii Marcelli Pompejorum II viri I · D · fit mentio.

(48)

HYALISSVS....
EPPI · PRIMI....
OPTATV.....
DAS... ...

Fragmentum Pompejis inventum anno 1833. Ministrorum nomina in ceteris non memorata. Annus plane incertus. Emendatum in hoc marmore *Hyalissi* nomen scribitur quod alibi corruptum: IALISSO · CONIVGI. Vide Gruter. pag. MCXLII n. 5, a Turre *monum. vet. Antii* pag. 260.

(49)

VLEIVS
VS · MIN
CCVS
VE

Fragmentum repertum in aedibus quibusdam privatis haud longe ab aede Fortunae Augusti anni 1837 mense junio. Potest et ad ministrorum lapides referri propter abruptam vocem MIN. Cetera omnia incerta.

* * *

Collatis vero inter se omnibus his pompejanorum ministrorum inscriptionibus, satis patet neque Augusto vetustiorem ullam neque Tiberii imperio recentiorem certam inveniri. Quum vero pleraeque jam perruptae atque in frusta discissae fuerint inventae, quaedam quoque dissectae ac marmoris vice parietibus incrustatae, satis patet jam quo tempore urbs Pompeji obruta est ac sepulta, harum inscriptionum nullam amplius curam habitam fuisse, iisque haud secus ac saxis ac caementis vulgo uti licuisse. Pronum est igitur conjicere seriem hanc inscriptionum qua olim vel forum vel aedificium aliquod Pompejis (an Caesareum?) ornabatur, casu deinde vel terrae motu (an Neroniano?) loco suo motam ac dejectam, ab incuriosis memoriarum suarum Pompejanis neglectam prorsus ac parvi habitam adeo fuisse, ut pessum ierint plures, paucae vero hae, quas exhibuimus, vix quasi sparsa Absyrti membra ad hanc usque diem in unam colligi seriem potuerint, molestissimis tamen lacunis (quod maxime dolemus) interruptam.

(50)

M › TVLLIVS › M › F › D › V › I › D › TER › QVINQ › AVGVR › TR › MIL
A › POP › AEDEM › FORTVNAE › AVGVST › SOLO › ET › PEQ › SVA

Digitized by Google

Inscriptio Pompejis adhuc exstans sculpta olim in ipsius Fortunae Augustae aedis fronte, quae anno demum 1824 reperta est. Edita primum videtur in *mus. borbonici* tomo I pag. 15 notitiae rerum e Pompejis egestarum, mox a cl. Guarinio aliisque pluribus saepius repetita. Bene is monuit Tullios Pompejanos (e quibus, praeter hunc Marcum, Quintum quoque Q. filium memorari in aliis inscriptionibus novimus, et ipsum II viratu I. D. Pompejis functum) non esse temere cum Ciceronibus confundendos, quo eos cognomine certe in marmoribus hisce insignes legeremus, si eo essent usi. Marcum vero hunc Tullium, summis functum et civilibus et sacris et militaribus honoribus, aedem Fortunae Augustae solo et pecunia sua Pompejis excitasse (confer eodem loquendi modo Mammiam in inscriptione sua usam supra num. 6) post annum urbis 727, quo Octavianus Caesar Augusti nomine ex Munatii Planci sententia a senatu est appellatus (vide Dionis lib. LIII c. 16 ibique Fabricium), dubitari non potest. Vide et quae supra monuimus. De tribunis militum *a populo*, qui et *comitiati*, vide viros doctos ad Fest. v. *Rufuli*. Pluries hi in pompejanis inscriptionibus memorati.

(51)

Antequam vero haece sacras pompejanas ac vicinorum oppidorum inscriptiones missas faciamus, venit hic memorandus lapis ex eodem genere a Capacio editus, deinde ab aliis pluries repetitus. Ait ille (*hist. neapol.* lib. II c. 9), *alveum effodientes, per quem Sarnus fluvius deductus est ad Pompejos ad molas frumentarias exercendas, inter aedificiorum vestigia lapidem in quadam porta collocatum invenisse*, quem certe pompejanum cum nomine M. Lucretii L. filii Decidiani Rufi suo loco dabimus. Ibidem vero sequentem etiam ait repertum:

IMPERIO · VENERIS · FISICAE · IOVI · O · M
ANTISTIA · METHE
ANTISTI · PRIMIGENI
EX · D · D

In hunc lapidem commentatus est praecipue Reinesius pag. 42 qui arbitratur extrema linea pro EX · D · D legendum VXOR DONVM DEDICAT. Hagenbuchius (teste Orellio *inscript. latin. collect.* tom. I. n. 1370) suspicatus est legendum EX DD idest *Ex denariis quingentis donavit*, vel EX · V · D (voto). *Sed* (subdit Orellius) *nihil omnino impedit quominus consueta illa formula hic quoque retineatur. Titulum scilicet ut ponere liceret Antistiae, decurionum decreto opus erat.* Quod vero idem ait, se pro spuria facile hanc inscriptionem habiturum fuisse, nisi idoneus auctor Romanellius (*viaggio a Pompei* tom. I pag. 15) affirmaret eumdem lapidem iterum nuper effossum esse, in eo vir doctus fallitur manifesto. Neque enim id affirmat Romanellius (*l. c.*), sed loquitur de lapido ante Capacii tempora effosso, eamque narrationem a Capacio ipso, quem testem laudat, mutuari se profitetur. Lapidem vero pro spurio habendum (quum tot nova atque inaudita quotidie e γνησίοις plane monumentis doceamur) haud facile concedendum. Possit quis potius propter scripturam FISICAE et omissum Antistii praenomen recentioris aliquanto aetatis inscriptionem ducere, et casu fortasse pompejanorum aedificiorum ruinis intermixtam. Ceterum quae fuerit *Physica Venus*, quod cognomentum alibi invenerit nemo, operose indagatur Reinesius, neque tamen quae affert satis opportuna esse videntur. *Physica* Venus alia esse non videtur ab ipsa Iside, seu Φύσει de qua inter ceteros Plutarchus (*de Iside et Osiride* pag. 372): Ἡ γὰρ Ἶσις ἔστι μὲν τὸ τῆς φύσεως θῆλυ καὶ δεκτικὸν ἁπάσης γενέσεως, καθὸ τιθήνη καὶ πανδοχὴς ὑπὸ τοῦ Πλάτωνος. Idem *in vita Crassi* pag. 553 F de dea Hieropoli culta: ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν Αἰτίαν καὶ Φύσιν νομίζουσι. Et apud Apulejum (*metamorphos.* lib. XI pag. 243) ipsa de se Isis: *En adsum ..... rerum Natura parens ..... me..... nominant...... Cyprii Paphiam Venerem etc.*

Digitized by Google

SECTIO ALTERA.

MISCELLAE.

(52)

Arae inscripta.

In prima facie.

D E O
M A G N O
E T F A T O
B O N O
VAL · VALENS ·
..P · PRAEFECT
..ASSIS · MIS ·
..G O R D I A N A E
...V M S O L V I T

In altera facie.

D E . . .
M A G N . .
ET · F A T O
B O N O
VAL · VALENS
· V · P · PRAEFEC
TVS · CLASSIS
M I S E N · P · V ·
G O R D I A N A E
VOTVM SOLVIT

ΘΕΩΜΕΓΙϹΤΩΚΑΙΚΑΛΗΜΟΙΡΑ·
ΟΤΑΛΗΕΑΡΧΗΝΛΑΧΩΝΕΠΑΡΧΟΝ
ΜΕΙϹΗΝΩΝϹΤΟΛΟΤΕϹΤΗϹΑΒΩ
ΜΟΝΕΚΤFΛΩΝΕΤΧΗΝFΜΗΝ ·

In tertia facie.

D E O
M A G No
E T F A T O
B O N O
V A L · V A L E N S ·
V · P · P R A E F E C T ·
C L A S S I S · M I S ·
· P · V · G O R D I A N A E
V O T V M S O L V I T

ΘΕΩΜΕΓΙϹΤΩΚΑΙΚΑΛΗΜΟΙΡΑ
ΟΤΑΛΗϹ·ΑΡΧΗΝ ΛΑΧΩΝΕΠΑΡ
ΧΟΝ ΜΕΙϹΗΝΩΝϹΤΟΛΟΤΕϹΤΗ
ϹΑΒΩΜΟΝΕΚΤFΛΩΝΕΤΧΗΝ
Ε Μ Η Ν ·

In quarta facie.

. . . . O
. . . A G N O
E T F A T O
B O N O
V A L · V A L E N S ·
· V · P · P R A E F E C T ·
C L A S S · M I S E N ·
· P · V · G O R D I A N A E
V O T V M S O L V I T
ΘΕΩΜΕΓΙϹΤΩΚΑΙΚΑΛΗΜΟΙΡΑ
ΟΤΑΛΗϹ·ΑΡΧΗΝΛΑΧΩΝΕΠΑΡΧΟΝΜΕΙ
ϹΗΝΩΝϹΤΟΛΟΤΕϹΤΗϹΑΒΩΜΟΝΕΚΤΕ
ΛΩΝΕΤΧΗΝΕΜΗΝ · .

Ara marmorea mense decembri 1781 inventa in ipso Miseni promontorio inter plura marmorea fragmenta, quae ad vetustas balneas pertinuisse judicavit

Digitized by Google

Franciscus la Vega eo tempore effodiendis antiquitatis reliquiis praefectus: e superiori autem loco quodam decidisse inter ea fragmenta aram hanc est arbitratus [1]). Edita est primum a nobis in explicatione herculanensium monumentorum [2]), iterum in eo opusculo quod inscribitur *il porto di Miseno* (pag. 13, 42, seq.), ubi adnotatum eo potissimum loco aram inventam esse, qui nunc dicitur *Pietrabocca*. *Dei magni* invocatio haud nova in lapidibus, e quibus memorandus maxime gruterianus [3]), propter argumenti cum nostro hoc misenate affinitatem:

DEO MAG
NO · AETERN
L · STATIVS · DI
ODORVS · QVOT (sic)
SE · PRAECIBVS (sic)
COMPOTEM
FECISSET
V · S · L · M

Sed praecipue *magni dei* nomine venit Genius ut in gruteriana inscriptione (pag. CL n. 7) DEO · MAGNO · GENIO · PVTEOLANORVM: item Harpocrates (ut videtur) in lucerna a Passerio edita (*lucern.* tom. I tab. 1) cum hac epigraphe: DEO · QVI *est* MAXIMUS. Apud Fabrettum quoque pag. 381: DEO · SANCTO · NVMINI · DEO · MAGNO · LIBERO · PATRI etc. Vide haec aliaque erudite adnotata a decessoribus nostris, qui summum vel *μέγιστον δαίμονα τὸν τοῦ παντὸς κυβερνήτην* (Platonis *polit.* tom. II p. 272 Serr.) vel saltem Genium Coloniae Misenatium eo nomine (Magni Dei) in nostro lapide credunt appellatum; quod unice verum putamus. Non modo enim in ea, quam attulimus, inscriptione, memoratur *deus magnus Genius Puteolanorum*, sed et *ἁπλῶς* in alia puteolana apud Reinesium legitur SACERDOS MAGNI DEI, quod perperam is mutat (pag. 369 seqq.) *Boni Fati*; item in ceteris lapidibus est mentio [4]). *Καλῇ μοίρᾳ*, ut ΚΑΛΟΙϹ · ΔΑΙΜΟϹΙΝ alibi [5]). Et sic quoque veteres loquuti: vide ex. c. Choricium in Procopii gazaei elogio apud Fabric. *bibl. gr.* tom. VIII pag. 852. Et sane uti *bonum fatum* nostro hoc in lapide praedicatur, sic et aliquando *malum* memoratum [6]). *Bonum* vero *Fatum* nostri hujus lapidis idem esse numen quod *Boni Eventus* nomine saepe in veterum monumentis memoratur, suspicatur Marinius (*arval.* pag. 236). Stoicis, Porphyrio teste, ταυτὸν Εἱμαρμένη καὶ Ζεύς. Vide

1) Hausimus haec e manuscriptis ipsius la Vega fossionum notitiis decembri 1781 et januario 1782 exaratis.

2) *Pitture* tom. V p. 263, quod volumen etsi in fronte annum 1779 prodat, serius aliquanto tamen in lucem est editum: dicitur enim ibi reperta Valentis inscriptio, dum volumen illud typis mandaretur. Ex eo opere marmor nuper descripsit cl. Orellius *inscript. latin.* tom. II pag 130.

3) Pag. XVII n. 7. Exstat et apud Murator. pag. CVI 6, et apud Maffei *mus. veron.* p. 178, qui christianis accenset, et PRECIBVS legit, quae eadem lectio est apud Fabrettum p. 564, apud quem

DEO · MAG
NO . ET . ETERN
O · STATIVS etc.

Christiana et ab aliis habita; vide Zaccar. *storia letter. d' Ital.* tom. I p. 224 et tom. V p. 484. Vide quoque Guasco *mus. capitol. inscr.* tom. III p. 171 seq. Rectius Amatius in Actis romanae Acad. tom. I pag. 81 et Orellius pro gentili habet, tom. I p. 367, et similia congerit exempla. DEO AETERNO in marmore aquilejensi (Bartoli *ant. di Aquileja* p. 328, 480, Murator. p. CVI 7) et in marmore gruteriano p. XVII n. 8. Vide quoque Reines. p. 171 et Gudium pag. XII n. 2. Allifanum aliud cum eadem *ἐπιγραφῇ* apud Gud. pag. I n. 7, et de Vita *antiq. benev.* tom. I p. 7 nihil moramur, quum Ligorianum esse e Reinesio p. 236 pateat, et suo merito a Grutero inter spuria referatur pag. III n. 6. DEO · QVI . EST · MAXIMVS ut in lucerna passeriana apud Gruter. pag. XVII n. 9. ΘΕΩΙ ΥΨΙΣΤΩΙ apud Marin. *arval.* tom. II p. 367. Inscriptio a Viscontio edita (*mus. pio clem.* tom. II ad tab. I) ΕΙϹ · ΘΕΟϹ · ϹΕΡΑΠΙϹ, et similis apud Winckelmann (*pietre di Stosch* sez. VII n. 353) ΕΙϹ ΖΕΥϹ ϹΕΡΑΠΙϹ. Ceterum deum unum fateri philosophos graecos ac poetas fere cunctos jam probatum ab ecclesiae patribus. Vide ex. c. Lactant. *de falsa religione* lib. I cap. 5, ubi *magnum* vocat, *de ira Dei* cap. 11, Tertullian. *apologet.* cap. 17, Athenag. *legat.* cap. 6 seqq. et 22 etc. Et fassi saepe ethnici. Vide Plutarch. de *oraculor. defectu* c. 29 ex emendat. Wyttenbachii, Jamblych. *de myster. Aegypt.* sect. VIII c 2 etc. *Stoici dicunt* (teste Servio *ad Georg.* lib. I v. 5) *non esse nisi unum Deum, et unam eamdemque esse potestatem, quae pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur.* Valerio Serrano Jupiter *deus unus* dicitur in versiculo quem legas in mythographi tertii vaticani ab eminentissimo viro Angelo Majo editi prooemio. Vide et quae congerit Rolle *culte de Bacchus*, tom. II pag. 404 ad 407.

4) Gruter. p. CVII n. 5, MXVII n. 7. Vide quoque Egizio *opusc.* p. 89 et herculanenses l. c. de ἀγαθοῦ et καλοῦ epithetis docte disserentes.

5) In gruteriana inscriptione pag. DCCX n. 4.

6) Gruter. p. DCLXI n. 6 FATVS · MALVS . NEGAVIT. Sic et FATVS SVVS PRESCIT (Murator. pag. DCLIX 4). Vide quoque Gruter. pag DCLXIII n. 5. In neapolitana inscriptione apud Fabrett. pag. 123: O FATVM INFELICEM QVI TE N.... *Fatus malus* et in Petronii fragmento triguriano, ut notum est, occurrit. Apud Gruter. pag MXV n. 8 FATO . MALO . FACTVM · EST. VT.... Graecis Αἶσα κακή. (Homeri *Odyss.* Λ v. 61).

scholia ad Iliad. villoisoniana lib. Θ v. 69, et confer Creuzerum *Dionys.* p. 71-86. Notandus titulus v. P. (*Viri Perfectissimi*) Valerio Valenti classis Misenatium praefecto tributus, qui idem titulus et Fl. Mariano item praefecto classis ejusdem tribuitur in alio lapide musei regii, suo loco a nobis edendo. Vide *il porto di Miseno* pag. 8. Quare dicendum videtur classium praefectos olim inter *perfectissimos* connumeratos, iique ceteris magistratibus ducibusque addendi qui et perfectissimatus honore claruerunt, quos enumerat Reinesius (*syntagm.* pag. 407, 8). Duces saue militares perfectissimatus honore sub Constantio gavisos docet Ammianus Marcellinus *histor.* lib XXI cap. 16 n. 2, ubi recte monet Valesius *perfectissimos* graece dictos διασημοτάτους, quod docuit nuper quoque Boeckius (*corp. inscr. graec.* tom. 1 pag. 436). Vide quoque Gutherium *de offic. dom. aug.* pag. 18, 9, *Cod. Theodos.* tit. *de perfectissimatus dignitate*, Pancirolum *ad notit. dignitatum* pag. 16, et quae dant Herculanenses in nostro hoc lapide illustrando. De *viris perfectissimis* mentio in marmoribus vel inde a Severi temporibus, quod probatum dedit Marinius *arval.* tom. II p. 627. Vide et lapidem gruterianum (pag. CCLXXII n. 1) positum Gordiano imperante, a quo nempe augusto Misenensis classis Gordianae nomen mutuatur in nostro hoc titulo, similiter a Gordiani successore Philippo Philippiana mox dicta. Vide honestam missionem a Sponio editam (pag. 245). Eodem pacto Ravennas classis Antoniniana dicta in lapide gruter. (pag. MCVII n. 3), e vulgato scilicet more, quo legiones, cohortes, alae imperatorum sibi cognomina adsciscebant. Itaque et Gordianae cohortes fuere (Gud. pag. XCVI n. 80, Gruter. pag. MLXIII n. 11,) et Gordiana legio (Gruter. pag. CCCCXXXIII n. 1, Fabrett. pag. 681) et Gordianae alae (Gruter. pag. MVI n. 8, 9, MVII n. 3 seqq.) etc. Consulendus Forcellin. v. *Gordianus* et Cardinali *diplom. milit.* pag. 65, 273, 281, etc. Porro notas P. V. *Piam Vindicem* classis hujus nostrae titulum indicare probat lapis apud Gorium (*inscript. Etrur.* tom. 1 pag. 9), Fabrettum (pag. 385), Muratorium (pag. DCCCLV n. 6), Kellermannum (qui emendatiorem dedit lectionem *vigil. romanor. latercula* pag. 35 not. 34), in quo diserte CLASSIS · PRAETORIAE · MISENATIVM · PIAE · VINDICIS legitur. Ceterum de classe praetoria Misenensi vel Misenatium, ejusque praefectis, multa multi congesserunt, in his Herculanenses in explicatione honestae missionis Herculanei repertae (*bronzi* vol. I pag. XXI seqq.). Vide quoque citatum opusculum inscriptum *il porto di Miseno* pag. 12, 3. Hujus classis praefectos e vetustis lapidibus sex tantum enumeravit olim cl. Cardinalius (*memorie romane di antichità* tom. 1 pag. 85), serius vero novem (*diplomi imperiali* p. 174), idest:

1. Ti. Julium Aug. lib. Optatum Pontianum, qui sub Claudio vixit (Gruter. pag. CCCCXXIII n. 8, *bronzi di Ercol.* vol. 1 praef. pag. XXI seqq.)

2. Ti. Claudium Ilum qui videtur et ad Claudii imperium pertinere (Capacii *histor. puteol.* pag. 130, Gruter. p. CCCLXXXIX n. 7). De lapidis γνησιότητι dubitat Cardinalius (*diplomi* p. 191).

3. Sex. Lucilium Bassum, qui tamen in honesta missione a Grutero edita (pag. DLXXIII n. 1) Ravennatis classis, non Misenatis praefectus dicitur, Vespasiano imperante; Ravennati tamen ac Misenensi classibus a Vitellio simul praepositus est, Tacito auctore *histor.* lib. II c. 100.

4. Iulium Frontonem qui sub Hadriano vixit (Gruter. p. MLXXXIII n. 2, Marini *arval.* pag. 460).

5. M. Calpurnium M. F. Gal. Senecam Fabium Turpionem Sentinatianum (Gruter. pag. CCCLXXXIII n. 7, Murator. pag. XV n. 17, Vernazza *dipl. di Adriano spiegato* Acad. Taurin. tom. XXIII p. 106.)

6. Valerium Petum sub Antonino Pio (Cardinal. *l. c.* pag. 215).

7. Valerium Valentem hunc nostrum sub Gordiano.

8. Aelium Aemilianum qui sub Philippis vixit (Spon *Miscell.* p. 244).

9. Ti. Julium Ti. F. Stell. Poetinum Bassianum aetatis incertae (Fabret. p. 37, Gori *inscr. Etr.* tom. III p. 85, Gruter. pag. CCCCXXIV n. 2). Sed consulendus

idem Cardinalis ib. pag. 181. *Praefectus classis* nomine non addito est apud Gruter. pag. CCCLXX n. 1. Sed his addendus erat ex alio musei nostri marmore jam edito is, quem jam supra memoravimus, Flavius Marianus aetatis item incertae (vide *il porto di Miseno* pag. 8) [1]. Memoratur et subpraefectus Misenensis classis Alfenius Senecio in Gruteriano lapide pag. CCVIII n. 1, et apud Orell. n. 4405. De Valerii Valentis vero nominibus adnotandum fuisse apud veteres non infrequentia. Non modo enim occurrit apud Gruterum (pag. III n. 5) C. Valerius Valens in bergomati lapide, et Valerius VALES (sic) apud Fabrett. (pag. 388), sed fuit et hoc ipso nomine praeter nostrum hunc classis misenensis praefectum, manipularis ejusdem, ut videtur, classis, liburna Justitia, de quo sic lapis Miseni quoque repertus, et a Marinio (*arval.* tom. II p. 358) primum editus:

D · M
L · VALERIVS · VALENS
MANIPVLARIS · LIB
IVSTITIA · NAT · BESSVS
STIP · XXVIII · VIXIT · ANNIS
XLVII · L · VALERIVS · PRISCVS
FILIVS · HERES · (*sic*) EIVS · PATRI · B · M ·

Extat hic lapis in regio museo, a nobis suo quoque loco referendus. Alius Valerius Valens memoratur in laterculo praetorianorum apud Cardinal. *dipl. imper.* p. 246, et alius in inscriptione aquilejensi apud Turrium *monum. vet. Antii* pag. 396. Item Valerius Valerii filius Valens Ratiarensis *ex pedite* in tabulae honestae missionis fragmento, M. Gavio Orfito, L. Arrio Pudente coss., anno post Christum natum 165, M. Aurelio et L. Vero imperantibus; Cardinal. *l. c.* pag. XXXXII. Insignis vero praecipue nostra haec inscriptio propter additam graecam interpretationem eamque, quod cl. Orellio primum observatum (*inscript. latin.* tom. II p. 130), metricam. Tribus enim constat senariis, florilegiis graecis, a quibus exsulant, jam prorsus addendis. Claro id esse potest argumento, graecam linguam vel serioribus temporibus non modo apud nostrates non exsolevisse, sed quam maxime potius excultam. Perperam vero scribitur ΜΕΙCΗΝΟΝ in editione Herculanensium; quum in marmore sit ΜΕΙCΗΝΟΝ, ut in latinis *Misenatium* classis (Veget. *de re milit.* lib. V c. 1. Gorius *inscr. Etr.* tom. I p. 9), forma tamen vel insueta vel adeo nova. Hunc vero dicendi modum ΑΡΧΗΝ . . ΕΠΑΡΧΟΝ in novissima ac praeclara thesauri stephaniani parisiensi editione adnotatum non invenimus, in qua tantum ὁ ἔπαρχος *praeses*, *praefectus*, non vero ἔπαρχος (ὁ καὶ ἡ) allatus deprehenditur; quae tamen vox ab aliis lexicis non exsulat, exemplisque ex Aeschylo praecipue petitis confirmatur. Plane ad nostri lapidis exemplum loquutus est quoque Clemens Alexandr. *stromat.* lib. VII cap. I, ubi legas ΑΝΑΡΧΟΝ ΑΡΧΗΝτε καὶ ΑΠΑΡΧΗΝ, et ipsissimis verbis ἔπαρχον ἀρχὴν utitur Constantinus Manasses *synops. histor.* p. 69 edit. paris. Marmor ipsum inspicienti facile patet graecum epigramma latino serius subscriptum fuisse, abrasa quoque, ut epigrammati ipsi locus fieret, linearum parte, inter quas latina inscriptio continebatur. In graeca inscriptione, ter F pro E scalptum, nusquam tamen monogramma litterarum TE occurrit, quod deprehendisse sibi visi sunt Herculanenses. — Στολάρχης Ποντικῶν νεῶν occurrit apud Brunck (*anal.* tom. III p. 300) et de *stolarchis* graecis plura dant Herculanenses ipsi *bronzi* tom. I pag. XXII.

1) Alii apud scriptores veteres memorantur, in his Plinius naturalium rerum scriptor celeberrimus. Vide Herculanenses *bronzi* vol. I *l. c.*

(55)

M · BLOSSIVS · M · L AGATO
M · CONSIVS · M · L NICOL
SEX · ALLIVS · Q · L SEXTVS
M · ATILIVS . . . L APOL
A · NASENNIVS · A · L PROT
L · FVRRIVS · L · L DION....
M · LIBRICIVS · M · L DIOP
.. TIBVRTIVS·C·LFL ....
... VRIVS·L·P·C·LSAND
.. PACTVMEIVS · A · L PHILIP
.. OCTAVIVS · P·LANTIOC

Ex uno latere

IOVEI · SACR

Ex alio latere

HANC · ARAM [a]
NEQVIS · DEALBE

Ara est e tiburtino lapide oblonga, cujus bifariam dissectae pars inferior est deperdita. Edidit nuper Danielius ex suo museo (*numism. cap.* p. 72) ac repertam in agro *Casapullae* prope Capuam suspicatur, ubi in Camilli Peregrinii aedibus olim servabatur. Misisse vero hujus lapidis exemplum Gudio Peregrinium patet e Gudii ipsius ad Peregrinium epistola (Gudii *epist.* pag. 4, Hesselii *praefat. ad Gudii inscript.* pag. 4), in qua do apographi ad se missi vera lectione eum interrogat. In indice Gudiani operis epigraphici nomina e nostro hoc lapido certo petita inseruntur, nulla tamen addita paginarum indicatione: omissa enim in opere ipso est inscriptio. Aram esse Jovi sacram ipse clamat lapis: et vetustiori aevo accensendam docent τὰ IOVEI pro IOVI et AGATO pro AGATHO et ANTIOC pro ANTIOCH [b]) quae ἀρχαϊκὰ videntur [c]). Nomina inscripta magistrorum forte templi Jovis, omnium, quod fieri saepe solebat, libertinae conditionis. Et sano templi *magistros*, i. e. sacerdotum collegium templo addictorum, in hac, et sequenti, pluribusque aliis Capuae vel viciniae inscriptionibus agnoscere malumus, potius quam vicorum pagorumque magistros; quae tamen sententia esse videtur doctiss. collegae nostri Borghesii in epistola data ad Furlanettum cl. item collegam nostrum atque ab hoc edita in erudito opere *le lapidi estensi* pag. 11 seqq. Principio enim constat vel exemplo *magistrorum augustalium* collegia sacerdotum *magistrorum* sibi titulum tribuisse; rem vero omnino conficiunt ii lapides qui *magistras* memorant, idest dearum sacerdotes feminas, quae exemplo *magistrorum* templis Deae suae addicebantur, qualis est praeter eos, quos collegit Orellius (*latin. inscript.* num. 2427 seqq.), aquilejensis lapis *Bonae paganae* apud Bertoli (*antic. di Aquil.* pag. 106), item nobilissimus musei nostri hipponiensis, qui Proserpinae magistrarum nomina exhibet, mox a nobis iterum edendus, aliique. Nuper ex inscriptione Tusculi reperta innotuit MAGISTER AEDITVVS CASTORIS POLLVCIS AVGVSTALIVM. Vide Nibby *viaggio* etc. tom. II pag. 59. C. Blossius memoratur et in pagi Herculanei scito a Mazochio edito (Daniel. *l. c.* pag. 95), et in percelebri puteolana inscriptione, cujus initium *lex parieti faciundo* (Gruter. pag. CCVII). Blossiae gentis marmor editum quoque habemus in musei Kirckeriani *aereis* tom. II pag. 65. Vide et Guasco *mus. capitol. inscr.* tom. III p. 69. Alliae gentis mentio et apud Marinium (*arv.* p. 482): de Pactumeja vero gente legendus omnino est idem Marinius (*loc. cit.* p. 400, 1), qui ejus memorias collegit. Consulendus quoque est Cardinalis *diplomi milit.* p. 190. Campanam

a) AM in monogr.

b) Sic quoque et alias ANTIOCVS. Vide Gruter. pag. CMXXXIX n. 6, Fabrett. pag. 659, Inghirami *mon. etr.* ser. V part. I tav. 1 ec. Marinius memorat NICEPORVS, PAMPILVS, PILODAMVS (*arval.* pag. 30, 31, 39) et similia vel apud Gruterum frequentissima. Vide pag. CMLI n. 4, CMLII n. 18, CMLIV n. 5, CMLXII n. 1, CMLXVI n. 8, CMLXVII n. 1 etc.

c) *Quin ego ipse cum scirem ita majores locutos esse ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic ut Pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Sic Cicero *orator.* cap. 46, et compara Quintilian. *instit. orator.* lib. 1 cap. 5. Vide tamen hac de re notata a Marinio *arval.* tom. II pag. 605, 6, qui docet et in vetustis monumentis aliquando aspirationem inveniri et in recentioribus omitti. In nostra mox PHILIP, addita aspiratione. Sic quoque in Jovii pagi scito (Daniel. *l. c.* pag. 95) legas TEATRO, DIOPANT, ANTIOCVS, uti et AGATHOCLES, PHILEM, PHILIN, EVPHEMIO etc.

Digitized by Google

fuisse probant et alii lapides. Vide Pratill. *via appia* p. 289, Gruter. pag. DCCCXVI n. 8. Est quoque ejus gentis mentio in inscriptione teanensi. Vide Broccoli *Teano antico* pag. 371. Notanda et Furria gens e nostro hoc lapide, a Furia, uti videtur, diversa. *Sextus* cognomen et aliunde notum (Gruter. pag. MCXXXII n. 3). Sic et *Marcus* cognomen (*ibid.* p. CMLXXXVI n. 5, Guasco *mus. capitol. inscrip.* tom. III pag. 52) et *Lucius* item cognomen apud Marin. *arval.* p. 116. Notanda demum formula HANC · ARAM · NE QVIS · DEALBE abrupta ultima voce pro DEALBET. Similes interminationes in sepulcralibus monumentis saepius quam in sacris reperiuntur. Notandum in hoc lapide post notam *Libertus* puncta semper omitti.

(54)

DRVSO CAES C NORB
COS
IOVI LIBER
CN BEIVTIVS PI...V..
Q TITINIVS FELIX
L MAMIVS SECVNDI·
..CLODIVS SALVILLV
.. AEBIANVS IVCVND
.......VS PHILODA...

A Camillo Peregrinio acceptum hujus inscriptionis exemplum edidit Gudius (pag. XI n. 1), restituit Danielius, nactus ipsum marmor, quod Peregrinii fuerat (*numism. cap.* p. 72, 73), aitque a Gudio corruptum. In eo post vocem IOVI vix eruas vocem LIBER quam Gudius et Danielius exhibent, qui et corrupta nomina quae sequuntur proferunt, Danielius vero, quam Gudius, corruptiora. Gudius porro habet in fine epigraphes:

MAG
D E S P

pro quo Danielius:

MAG
D D

Haec tamen hodie in marmore non leguntur, quod abruptum eo potissimum est loco. Drusi et Norbani consulatus incidit in annum urbis 768 post Ch. 15 et de eo legenda quae notavit clar. Borghesius (*giornal. arcad. april.* 1823 pag. 58). Ceterum de Jove Libero insignis est memoria in lapide Furfonensi edito ab Antonini (*Lucan.* tom. II p. 27) et apud Muratorium (pag. DLXXXVII n. 1), de quo lapide vide quoque Lanzium, (*saggio* tom. III pag. 19) et Marinium (*arval.* pag. 696), qui comparat eum Graecorum Διῒ Ἐλευθερίῳ. Jupiter ipse *Libertas* in inscriptionibus aliquando cognomen habet, ut in monumento ancyrano (Gruter. pag. CCXXXII), et in inscriptione apud Muratorium (pag. X n. 5), Maffejum (*osserv. letter.* tom. V p. 196, *giornal. arcad.* vol. XLVIII *decemb.* 1822 pag. 355), itemque Orellio judice (*latin. inscr.* n. 1282) in hac tusculana epigraphe a cl. Nibbyo (*viaggio* tom. II p. 44) edita:

IOVI · LIBERTA.....
SACRVM
POSITVM · AEDIL
P · VALERI · BASSI
PRAEF · FABRVM

Sic et Jupiter *Fulgur*, suggerente Marinio (*l. c.*) apud Vitruvium (*de arch.* lib. I cap. 2), ubi tamen plures legunt *fulguratori* (vide ibi Schneideri et Aloisii Marini notas), et *Jupiter juventus* e schedis ceteroqui corruptis, quas idem Marinius laudavit. Et tamen possit quis suspicari in allatis inscriptionibus Jovem et Libertatem quasi συνναόυς vel συνθρόνους deos indicari, nominibus utriusque ἀσυνδέτως, ut fieri solet, exhibitis. Sic supra in inscript. 10, 11, 32, 33 vidimus quoque MERC*urii et* MAIAE conjungi et nomina et sacra. Quod si arridet, nihil vetat et in campana hac epigraphe pro IOVI · LIBER*tati* potius IOVI (*et*) LIBER*tati* intelligere. Et res omnino explorata videtur, si in ea, quam supra memoravimus, tusculana inscriptione, sic legi arbitremur uti est in diario italico *l'antologia* ann. 1826 *jan. mens.* p. 124: IOVI · LIBERTATIQ etc. Nec fortasse injuria quis suspicari possit hac profecto de caussa in nostro hoc lapide IOVI LIBER scribi, spatio inter utramque vocem po-

Digitized by Google

sito, ut non de uno Jove Libertate, sed de Jove et Libertate quae hic dicuntur intelligenda esse ostenderetur. Nomina quae sequuntur, sunt ejus numinis magistrorum, ni fallit vox MAG in Gudii et Danielii ἀπογράφοις. Vide ad lapidem superiorem allata. Inter ea notatu dignissimum est L. Mamii Secundi, quo probatur Mamiam gentem Campanam fuisse, camdem fortasse quae Mammia scribitur in pompejanis et herculanensibus inscriptionibus: item *Baebianus* pro gentis nomine usurpatum; quod manifesto indicat vel coloniae *Ligurum Baebianorum* in Samnio libertum fuisse publicum nostrum hunc Jucundum, vel certe ab ejus coloniae liberto prognatum. Notissima enim res est gentili ipso coloniarum ac municipiorum nomine solitos appellari publicos civitatis libertos. De colonia vero Ligurum Baebianorum praeter veterum, Livii praesertim (lib. XL cap. 4), Plinii (lib. III segm. 16), ac Frontini (*de colon.* p. 106 Goes.) testimonia, exstant nobilissima monumenta epigraphica, novissime illustrata a collega nostro Guarinio in sua *illustrazione dell' antica campagna Taurasina*, et praeterea tabulae alimentariae praestantissimum ἀποσπασμάτιον quod editum ab eodem Guarinio praeclaris animadversionibus illustravit quoque cl. Borghesius (*bullett. dell' istit. arch.* ann. 1835 pag. 146 seqq.).

(55)

.....DIVS›M›F›
.... AEDEM › IOVIS

Fragmentum ἀνέκδοτον adhuc suspicamur. De aede Jovis a Claudio, ut videtur, M. filio aedificata in eo agi, res est manifesta. Vide quae de ejus interpretatione ex conjectura adnotabimus ad epigraphen nostrae hujus collectionis Marti positam a Claudio consule.

(56)

I › O · M · SACR ›
L › PETRONIVS › SP › F › SVC › SATVRNINVS ›

E Borgiana collectione in regium museum illata dicitur. Stantis Jovis atque aquilae ad ejus dextram adstantis in superiore lapidis parte vestigia sunt sat luculenta.

(57)

..LAVIVS
ANTIPATER
VNA CVM
FLAVIAARTE
MISIA VXORE
ETALCIDELIB
ASCLEPIVMET
HYGIAM
IÓVI FIAZZO
VOTVM

Edita a Capacio *histor. neap.* lib. I cap. 14 qui invito marmore *Iovem Ejazium* nobis obtrudit. Diligentius in insigne hoc monumentum commentatus est postea Mazochius qui illud olim legisse se ait in villa pausilypensi viri nobilis salernitani Mazzae; Mazochii vero curis nostras superaddere piaculum duximus. Vide ergo quae de insolenti illo, ac prorsus alibi inaudito, cognomine *Fiazzo*, habet ὁ πάνυ *spicil.* tom. I pag. 18, et tom. II p. 17, et 65, ac praesertim peculiari dissertatione de *Iove Fiazzo* edita ejusdem *opusculor.* tom. IV pag. 33 seqq. Quorum summa eo redit, ut ex פִּיעַ *Phiaz* i. e. *os forte* vel *os fortis* (geminato, uti opus est, per daghesch elemento (ז) cum sit e duplicantibus secundum) sine ulla vel tenuissima detorsione veniat FIAZZVS, quod αὐτολεξεὶ interpretatur κρατεβρόντομος, idest TONANS. Transcripsit e Capacio Gruter. p. XXI n. 2 e quo memorat Reines. p. 232, uterque legit EIAZIO et sic quoque ceteri qui ex iis hauserunt, ex. c. Panel. *de cistoph.* p. 36, aliique, quos merito castigat Mazochius, recte docens FIAZZO in marmore legi debere; quod et nos censemus; quanquam scalptoris negligentia τὸ F in hac voce FIAZZO, uti et supra

in voce FLAVIA, pene τοῦ E formam mentiatur. Marmoris tamen ἀπόγραφον dedimus tab. nostrae I fig. 2, ut cuique, ipsarum litterarum forma diligenter inspecta, libera sit sui interponendi judicii facultas. Nuper dedit quoque Orell. tom. I n. 1257, qui EIAZIO quoque legit et addit: *ms. Pigh. utrobique:* IAZIO *— ἰνάζιος, σαβάζιος idem: vide Suidam qui ἰνάζειν exponit σαβάζειν. Gud.* Apud Gudium tamen lapis non invenitur. Ceterum notandum hanc inscriptionem a Capacio *in altera ejusdem basis parte*, ut ipse ait, deprehensam:

T · FLAVIVS · ANTIPATER
VNA · CVM · FLAVIA · ARTEMISIA · VXORE
IOVI · EIAZIO · VOTVM · LIBENS · SOLVIT

Quam rem confirmat quoque Mazochius (*opuscul.* tom. IV p. 33), quo oculato teste inscriptio haec Antipatri erat ὀπισθόγραφος. Eam vero laminam Mazochius, non basim, appellare videtur. Et lamina quidem dicenda ea est quae hodie in regio museo invenitur, illitterata prorsus ac scabra postica facie, ita ut facile credas vel casu vel data opera effractam basim atque in duas dissectam partes, quarum altera desideratur. Porro ut in hoc lapide Iovi Fiazzo ex voto Antipater Asclepium ponit et Hygiam, sic alibi *votum* L · A · S · (*libenti animo solvit*) IOVI · ET · ASCLEPIO · HYGIAE M. Sevius Seneca. Vide Murator. tom. I p. XIII n. 3.

(58)

IVSSV
IOVIS OPTIMI MAXIMI
DAMASCENI
SACERDOTES
M · NEMONIO · M · F · PAL
EVTYCHIANO
SACERDOT · HONORATO
EQVO · PVBLICO · AB ·
IMP · ANTONINO AVG
PIO · P · P
ADLECTO · IN ORDINEM
DECVRION · PVTEOLANOR
AEDILI
M · NEMONIVS · CALLISTVS · P
SACERDOS · REMISSA
COLLATIONE

Marmorea ara edita a Vignolio in opere *de columna Antonini* pag. 187, qui ait Neapoli exstitisse apud Joannem de Andrea. E Vignolio vero exscripsit Muratorius pag. CLIX n. 4, sed jam anno 1700 innotuerat Mattheo Aegyptio qui VI non. martii ejus anni Godophr. Christ. Goezio lapidis exemplum communicavit. Vide ejus *opuscoli* p. 192 seqq., unde discimus Puteolis repertum, et servatum tunc in aedibus Januarii de Andrea regii a latere consiliarii. Lectio tamen marmoris non est satis emendata apud Aegyptium. Vide quoque Marinii *arval.* p. 618. » *Jovis* » *Damasceni* (ait Vignolius) cum eodem » attributo *optimi maximi* mentio fit in » alia veteri inscriptione, quae exstat apud » Gruterum p. XX 2. Ita enim indi» gitatus a Damasco Syriae urbe, in qua » summo honore colebatur, eamque pro» pterea Julianus epist. 24 τὴν Διὸς πόλιν » ἀληθῶς, idest *vere Jovis urbem* appel» lat. Istius igitur Jovis jussu sacerdotes » puteolani, proque ipsis M. Nemonius » Callistus sacerdos, statuam posuerunt » M. Nemonio M. filio Eutychiano Pal. » h. e. Palatina tribu, et *equo publico* » *honorato*, scilicet in equestrem ordinem » adscito ». Hujus vero Jovis Damasceni cultores fuisse Puteolanos nil mirum, apud quos olim plures ex Asiaticis praecipue mercatoribus sedes suas posuisse sat constat. Vide de ea re ab eodem Aegyptio notata (*opusc.* p. 194), et ab Ignarra *de pal. neap.* p. 289, 90 etc. Sic et cultores Jovis Heliopolitani fuere Beryteuses Puteolis consistentes, de quibus marmor Muratorianum pag. CCXXXI num. 4:

CVLTORES · IOVIS · HELIOPO
LITANI · BERYTENSES · QVI
PVTEOLIS · CONSISTVNT

Porro de Nemonio Eutychiano mentio est quoque in alio lapide ab ipso Vignolio p. 193 ac deinde a Muratorio bis edito, semel e Vignolio pag. LXXIX n. 2, iterum vero ex apographo quod Neapoli misit Ignatius M. Comus pag. MCXV n. 4, quem lapidem nempe Sanctissimo Deo Genio Coloniae Puteolanorum posuit Nemonia Calliste Nemonii Eutychetis (uxor) cum duobus MM. Nemoniis M. filiis, Eutychiano et Gemellino fratribus suis et Nemonia Januaria filia sua. Videtur ergo horum Nemoniorum hoc schema fuisse:

Digitized by Google

M. Nemonius Callistus a)

M. Nemonius Eutychianus — *M. Nemonius Gemellinus* — *Nemonia Calliste* — *Nemonius Eutyches*

Nemonia Januaria

Sunt et alii MM. Nemonii duo, Ligurinus nempe, et Sabinus Felix, Marci filii, qui in alio lapide apud eumdem Vignolium pag. 196 et Murator. pag. MCXV n. 5 etiam Genio Coloniae Puteolanorum titulum ponunt. Anaglypha in duorum lapidum, vel potius ararum, de quibus loquimur, lateribus insculpta aeri incisa dat Vignolius ipse *l. c.* p. 194 seqq. Porro ejus inscriptionis, cujus exemplum ad Muratorium misit Comus, videntur in postica facie haec quoque in sculpta fuisse, quae Muratorius ipsi inscriptioni praeponit, verba:

DIKATA
L · VENVLEIO · APRONIANO · II · L · SERGIO · PA.....

Quae nomina perperam ille II virorum annuorum coloniae puteolanae esse judicat, quum certa sint consulum anni post Chr. nat. 168, ut e graecis fastis probatum jam dederat Tillemontius (*not.* XI ad M.Aurelii imperium), et usus quoque Muratoriana epigraphe firmavit Marinius (*arval.* pag. 196). Vide quoque notata a Viscontio *monumenti gabini* ad inscript. III tab. XVIII ubi plenissime legitur: DEDICATA · IDIBVS · MAIS · L · VENVLEIO · APRONIANO · II · L · SERGIO · PAVLLO · II · COS. Perperam igitur clar. Orellius (*inscr. latin.* n. 1694) hac in re Muratorium sequitur, quum tamen gabinam, de qua modo loquebamur, inscriptionem dederit et ipse n. 1368. Lin. 8 nostri hujus marmoris RVBLICO pro PVBLICO dedit quadratarius. Sacerdotum vero equo publico honoratorum e ceteris lapidibus exempla attulit Aegyptius *l. c.* p. 195. Vide quoque apud Orell. num. 2177, 2180, et alibi. Verba *remissa collatione* interpretamur eodem sensu ac alibi HONORE · VSVS · IMPENSAM REMISIT (Gruter. pag. CCCLXXXIII num. 7), aliaque his similia. Videtur pater Callistus sua impensa filio Eutychiano statuam posuisse, remissa nempe sacerdotibus, qui eam decreverant, collatione i. e. pensitatione, ut apud Gruter. pag. CCCCXXI num. 1:

IMPENDIVM · BIGAE · QVAM
POPVLVS · EX · COLLATIONE
LEGATIVI · AC · DONATIVI
EPVLI · OFFEREBAT · REMISIT

Item apud eumd. Gruter. pag. CXXIX n. 1: EX · CONLATIONE · SVA · ET · MANIPVLARIVM·SVORVM·AEDICVLAM·MARMORAVIT; et in tabula ancyrana de auro coronario MVNIcIrIIs · ET · COLONIIs · ITALIAE · CONFERENTIbVS (Gruter. pag. CCXXXII). Rem omnem clarius explicat Gruteriana inscriptio pag. CCCCXXVIII n. 6 ubi legimus: DECVRIONES · ET · AVGVST · ET · POPVLVS · STATVAM · PONENDAM · EX · AERE · CONLATO · DECREVERVNT · QVI · HONORE · CONTENTVS · EX · SVO · POSVIT · ET · CONLATIONEM · REDDIDIT · Item Fabrettiana haec pag. 486: CVI · CVM · OB · ABSTINENTIAM · SINGVLAREM · EIVS · DECVRIONES · CONSENTIENTIBVS · AVGVSTALIBVS · ET · PLEBE · STATVAS · AERE · CONLATO · OBTVLISSENT · REMISSA · CONLATIONIS · IMPENSA · IPSE · PONI · IVSSIT · Et pag. 343: CONLATIONE · FACTA · ORDINIS · EIVSDEM · MVNICIPI · ET · AVGVSTALIVM · ET · VICANORVM · ITEM · LIBERTORVM · IPSIVS. Et plane ut in nostro lapide legimus in inscriptione honoraria a Camertibus posita Satrio Barbaro

a) Is nempe P. in nostra inscriptione dicitur, idest Eutychiani pater.

HONORE · SVSCEPTO · CONLATIONEM · REMISIT (*efemer. letter. di Roma* tom. I p. 120). In inscriptione apud Antonini *Lucan.* tom. 1 pag. 196 memoratur PECVNIA · CONLATICIA · Alibi collatio est publicorum tributorum pensio, *leg. 7 cod. de suscept. praepos. et arcariis.* Est et *glebalis collatio*, de qua vide codicis theodosiani lib. VI tit. 2 ibique Gothofredum. Ad nostram hanc inscriptionem notavit Orellius ex Hagenbuchii manuscriptis Plinii locum (*paneg.* cap. 41) ubi *collationes remisisse* dicitur Trajanus (*inscr. latin.* n. 1229). Eodem quoque sensu Suetonius de Tito (cap. 7): *ne concessas quidem ac solitas collationes recepit.* Ceterum et *stips collata* apud Plinium lib. XXXIV cap. II et in inscriptionibus saepe: vide Gruter. pag. MLXXIV n. 10 etc. et quae inferius dicemus ad inscriptionem Vulcano ab Augusto positam. Nuper in inscriptione Faleronensi legimus AEDILITATE · REMISSA, ut in hac nostra COLLATIONE, alibique, IMPENSA REMISSA (*annal. dell' istit. arch.* 1839 pag. 56).

(59)

EXIVSSO I · O · M · HELIO
POLITANI AVR ∕ TEEOD.
ROSACERDOTIFILIOCVRATO..
TEMPVLIGEREME...ENSIVM
ADAMPLIANTEDONIS TO..
QVEMETVELVM....
FL·LVCOPHORIDESVOPOSV..
....ANTEACILIOSECVNDOII ∕

Saepe editus lapis. Habes apud Smetium pag. XLI a 1., item apud Gruter. p. CCCXXIII n. 1 cum hoc lemmate: *Neapoli pro domo Comitis Matalonei. Litera coacta, oblonga, barbara et afflicta.* Mox subdit: *a Pighio Smetius. Vide et Capac. 1 hist. Neap. c. 21, et Tomas. de don. et tab. vot. c. 20.* Quasi adhuc ἀνέκδοτον dedisse videtur Murator. *appendicis* tom. IV init. n. 5 pag. 5 cum hoc lemmate: *Neapoli in angusto et infrequenti vico post collegium pp. societatis Jesu lapis valde exesus ignobili charactere.* In manuscripto Fabii Jordani *de rebus neapolitanis* ἀνεκδότῳ opere, quod servatur in regia bibliotheca, transcribitur quoque lapis, quem Jordanus suo tempore (vixit autem saeculo XVI paullo ante Capacium) *marmorea in tabula insculptum* exstare ait *infra Antonii Orefici aedes in sanctinorum clivo* in ea urbis nostrae regione quae Nidi nomine indicatur. Capacius vero lapidem exstare ait in aedibus Octavii Caesaris consiliarii. Lectio apud omnes varia, incerta, et vitiosa.

Lin. 1. Male Smetius, Capacius, Gruterus, Tomasinus legunt IVSSV: nam marmor diserte habet IVSSO ut et alibi (Gruter. pag. CXXIX num. 14, Reines. class. I n. 169 etc.). Heliopolitani Reinesio, *epist. ad Rupert.* pag. 251, dicti videntur Neapolitani, quia etiam Solem coluerunt, quod vix quisquam probaverit. Sat omnibus compertum τὸ HELIOPOLITANI gignendi casu cum Iovis *Optimi Maximi* conjungendum, eodem pacto ac cetera in lapidibus obvia IOVI · O · M · DOLICHENO (V. Rein. cl. I n. 15, 16, 17, 225), IOVI · OPTIMO · MAXIMO · DAMASCENO (Gruter. pag. XX num. 2, vide notas ad marmor), I · O · M · ALANNINO (Murator. pag. VIII num. 7), ceteraque his similia. Ceterum de Jove Optimo Maximo Heliopolitano insigne exstat Macrobii testimonium, quo docente, *Assyrii quoque Solem sub Jovis nomine quem Dia Heliopoliten cognominant, maximis caeremoniis celebrant in civitate quae Heliopolis vocatur* (*saturn.* lib. 1 cap. 23). Plura vide de ejus templo apud eumdem Macrobium et doct. Eckhelium in explicatione nummorum Heliopolis Coelesyriae, in quibus frequentes notae I · O · M · H · idest *Jovi Optimo Maximo Heliopolitano.* Cujus dei cultores apud nos non defuisse docet marmor Muratorianum pag. CCXXXI num. 4, Trajano imperanto positum, cujus verba supra retulimus ad marmor 58. In aliis quoque lapidibus Jovis Heliopolitani mentio recurrit, ut ex. e. in eo quem C. Julius Tiberinus DOMO BERYTO ponit I · O · M · HELIOPOLITANO ET NEMAVSO, quem e Maffeji *dittico quirinian.* pag. 29 hausit Orellius num. 1245, qui (n. 1234) e Sestinio *viaggio in Ungheria* etc. p. 250 aliam habet inscriptionem Budae exstan-

Digitized by Google

tem, positamque I·O·M·DVLCENO·(*Dolicheno*) HELIOPOLITANO. Vide quoque *efemeridi romane* fasc. 30 pag. 344. De Jove Heliopolitano ejusque cultu lege quoque quae nuper dedit cl. Emeric-David *Jupiter* tom. I pag. 101. In Jordani *ἀπογράφῳ* legitur EX IVSSO·I·C·(*sic*) M·etc. Heliopolitanos vero Aegyptios lapidem posuisse arbitratur Jordanus, ejusque testimonio utitur ut probet ab Aegyptiis nostras hasce regiones olim frequentatas: quae eadem fuit, ut mox videbimus, Capacii sententia. Jam quae sequuntur in nostro lapide Oedipum suum desiderant, ac vix, exesis temporis injuria literis, certo explicari posse videntur.

Lin. 2. Male Capacius AVRELIO pro AVR. Omnes vero legunt integrum THEODORO, quum nunc in marmore alterum o desit: τὸ HE est in monogr. apud Smetium. Lapis dat manifesto THEOD..(*sic*).

Lin. 3. Jordanus pro FILIO habet AILIO (*sic*). Idem et Smetius CVRATOR, Capacius CVRATORI. In lapide, ut exhibuimus, legitur nunc CVRATO.., ceteris litteris deficientibus.

Lin. 4. TEMPVLI·CEREMELIENSIVM legit Capacius, CEREMEILENSIVM Smetius et Gruterus. Reinesius audacter more suo CER*eris* EVMELIENSIVM quod de neapolitana phratria Eumelidarum explicat. Ligorium legisse GERENTENSIVM, Tomasinum CEREMEI·IEASVM vel potius IEASIVM notatum ad Gruterum reperies. Jordanus legit GEREMELIENSIVM propius ad marmoris fidem, Muratorius TEMPLI......IENSIVM. Equidem, quantum ex marmore colligimus, veram hanc putamus esse lectionem TEMPVLI (barbare, ut videtur, pro *templi* a)) GEREME..ENSIVM in qua lectione incertae admodum sunt litterae, vel forte littera inter tertium et quartum secundi vocabuli E; quas vel duas SS potius quam duas LL, vel II fortasse fuisse suspicamur, ita ut vox integra fuerit GEREMESSENSIVM vel GEREMEHENSIVM. Qui vero hi fuerint sive *Geremessenses*, sive *Geremehenses*, sive quo alio vocabulo sunt appellandi, scire nos fatemur *una cum ignarissumis*, atque ab aliis doceri facile patiemur. Litterarum ductus quam diligentissime fieri potuit exhibuimus tabulae nostrae 1 fig. 3.

Lin. 5, 6, 7. Smetius et Gruterus legunt ADAMPLIANTE DONIS TORQVEM ET VELVM SAC. ET LVCOPHORIDE SVO POSVERVNT, et sic quoque Jordanus, nisi quod pro LVCOPHORIDE SVO dat EL (sic). NICOPHORI DE SVO POSVERVNT. Capacius lin. 5 habet ADAMPLIANTES et lin. 7 LVCOPHORIDI·DE·SVO·POS· Muratorius AD AMPLIANDI DONIS IOVEM ET VE... E LINCOPHORIO SVO PRO. Jam quae ad explicanda haec *αἰνίγματα* attulerint potissimum viri docti, sunt paucis memoranda. Capacius Lycophoridis numinis nomen esse arbitratus illud se ignorare profitetur; lupum tamen pro deo haberi apud Aegyptios e Plutarcho docet *de Isid. et Osir.* cap. 72, ideoque Aegyptiorum Lycopolitas ovibus vesci commemorat. Tomasinus e nostro hoc marmore cum torque et velum quandoque diis oblatum fuisse monere contentus, cetera negligit. Bartholinus (*de luce hominum et brutor.* p. 236 seq.) qui e Capacio inscriptionem hausit, nescire se ait an de lupo ab Aegyptiis pro Deo habito ea loquatur, et subdit: *quid enim sit Lycophoris iste mecum juxta ignorat Jul. Caes. Capacius historia neapolitana; nisi nomen sit gentis singulare, de quo, uti et de inscriptione barbariem olente, scrupulosius inquirere, praeter rem et necessitatem erit.* Cuperus (*Harpocr.* p. 492 tom. II *thes. poleniani*) quum LVCOPHORI apud Gruterum legeret, ait *Lucophoros* hos fuisse procul dubio sacerdotes a portatis lucis seu arboribus ita appellatos, non secus ac *dendrophori*. Reinesius: *Lycophoros inter sacerdotes et religiosos recensent auctores indicis* (gruteriani) *c. III. Velim, quare? dicam,* ὡς ἦν ἐπ' ἐμοί, *quod res est: LVCOPHORVM I·O·M·POSVERVNT DE SVO, h. e. lychnophorum inter vasa pro sacrificiis alia in templo Cereris consecratum.* Λύκη, *prima lux*: λυκόφως, ὁ βαθὺς ὄρθρος. Denique

a) Sic et DISCIPVLINA AVG pro *disciplina* in numis Hadriani, VBERITAS pro *Vbertas* in numis Hostiliani (Eckh. *doctr* tom. VI pag. 503, tom. VII pag. 352), ARBITERIO pro *arbitrio* (Gruter. pag. DL num. 1), NOCITVRNA pro *Nocturna* in inscriptione nuper edita (*mémoires des antiqu. de France* tom. IV pag. 76), etc.

in novissima Forcelliniani lexici editione curata a Furlanettio collega nostro haec legimus: *Lycophorus, i, m. 2*, λυχοφόρος (*a* λύχη *lux et* φέρω, *fero*) *idem ac daduchus* (*quam vocem vide suo loco*), *qui nempe facem in sacris ferebat ac quassabat. Inscript. apud Gruter. p. 323: Ex jussu J. o. m. Heliopolitani Aur. Theodoro Sacerdote Lycophori de suo posuerunt. De iis ita Stat. 4 Silv. 8 50: Tuque, Actaea Ceres, cursu cui semper anhelo Votivam taciti quassamus lampada mystae.* Abunde hic habes, amice lector, unde nostrum de rebus adeo incertis silentium compensetur. Itaque de vera marmoris lectione te admonuisse sufficiat, quae ea est quam supra dedimus et in citata modo tabula exhibuimus, e qua ut ingenio tuo iis quae allata hucusque sunt, probabiliora quaedam aliquando exsculpas et proferas maxime in votis est.

Lin. 8. Smetius et Gruterus legunt SECVNDO TROD et 9 lineam subdunt in qua legunt IVLIVS...... Apud Muratorium linea 8 sic legitur CVRANTE ACILIO SECVNDO, et duae lineae subjiciuntur 9 et 10, quas sic exhibet..........IR..

MIAS......

Jordanus legit linea 8, 9:

CVRANTE ACILIO SECVNDO ERETO

MAS......

Capacius 8 lin. legit CVRANTE ACILIO SECVNDO TRO... neque alias agnoscit. Marmor nunc post 8 lineam plane abruptum. Fuit illud ara, cuius nunc dissectae exterior tantum facies servata in qua est inscriptio. In uno e lateribus urceoli insculpti adhuc dimidia pars est conspicua.

(60)

I OVI

PLVVIA...

Incertum unde in regium museum pervenerit. De *Jove pluviali*, ut supplendum videtur, silent, ni fallimur, edita huc usque marmora, quae tamen *Serenum Jovem* norunt (Gruter. pag. XXIII n. 1, pag. LXXVII n. 6, pag. MIX n. 9, Passeri *lucern.* tom. I tab. 33, Guasc. *mus. capit. inscr.* tom. III p. 221, Morcell. *de stilo* tom. I pag. 19 et 424), imo et *tempestatium divinarum potentem* (Spon. *miscell.* p. 76). Ceterum de Jove Pluvio, veterumque auctorum ac monumentorum de eo testimoniis, confer praecipue quae habent Seguinus *select. num.* p. 147, Eckhelius *doctr.* tom. II p. 515, Ignarra *palaestr. neap.* p. 189, 191 (qui ad urbis nostrae *clivum* trahit quae Petronius habet *satyr.* cap. 44 extr. vicinumque locum *Pichiovi* dictum putat a *Pluvio Jove*), Vossius *mytholog. Briefe* tom. II p. 3 seq., Welcker *Zeitschrift* pag. 75, Cavedonius *spicil. numism.* pag. 165, 227, Witte *description d'une collection provenant des fouilles de l' Etrurie* pag. 116, Emeric-David *recherches sur Jupiter* tom. II pag. 501 seqq. Confer quoque doctissimi Creuzeri *symbolicam* tertiae edit. vol. I p. 477 et ejusdem operis a cl. Guigniaut gallice versi tom. II pag. 473 et 583. Jocati saepe in eo Jovis cognomine sunt comici, ut praeter Aristophanis locum Νεφελ. v 372 quem occupavit jam Eckhelius *l. c.*, docent quoque hi Pherecratis in Persis versiculi ab Athenaeo servati *dipnos.* lib. VI pag. 269 Dalech.:

Ὁ Ζεὺς δ' ὕων οἴνῳ
Καπνίᾳ κατὰ τοῦ κεράμου βαλανεύσει.

Sacro vero mysticoque sensu rem non caruisse probare videtur Epigenis auctoritas, qui in libro de Orphica poësi τὰ ἰδιάζοντα παρ' Ὀρφεῖ ἐκτιθέμενος (docente Clemente Alex. *stromat.* lib. V c. 8) δάκρυα Διὸς τὸν ὄμβρον δηλοῦν monuit. Jovem quoque Οὔριον novimus e Cicerone *in Verr.* lib. IV c. 57, et praeclara inscriptione a Sponio (*miscell.* pag. 332), Chishullio (*antiq. asiat.* pag. 59 seqq. et vide emendationes in fine operis), aliisque saepe edita, qui idem et *imperator*. Egregie de eo disputavit nuper cl. vir Gul. Abeken (*annal. dell' istit. arch.* ann. 1839 pag. 62 seqq.). Illud extremo loco monendum restat, quod a collega nostro Josepho Castaldio lapis editus est Canusii repertus, cujus ei copiam fecisse ait Dominicum Forges Davanzati, et in quo haec tantum legi potuerunt:

IOVI · PLVVIO

....

Digitized by Google

Vide tom. III *actor. acad. nostrae* p. 3. Quem lapidem diversum ab eo quem hic edimus non esse suspicamur, et e nostro ejus esse emendandam lectionem.

(61)

IOVI
STRIGANO
L · VARENIVS · RVFVS
TR

Lapis ὀπισθόγραφος: in altera enim facie sic legitur:

PETICIA · HEDONE [a])
HIC
CONDITA · EST

Dono datus a marchione Michaële Ardito; ubi tamen et quando inventus fuerit, plane ignoramus. Cur de ejus αὐθεντίᾳ dubium moveamus, idoneam caussam nullam adhuc invenimus, praeter litterarum formam quae videri potest a proba et vetusta nonnihil abhorrere; neque enim insolens plane, imo inauditum, Strigani cognomen Iovi additum, per se solum in νοθείας suspicionem marmor adducere potest; quum sint et in ceteris probae notae inscriptionibus similia diis tributa cognomenta, quorum saepe vix, ac ne vix quidem, ἔτυμον indagando comperias. Itaque res ad divinationem et conjecturas redit. Quod et in hoc Strigano Iove explicando plane est reliquum. A *striga* quidem *Striganum* deduci (quae vox a lexicis exulat) verisimile videtur. *Striga* vero, uti omnes norunt, vocabulum est πολύσημον, quum in re agraria sulcum notet, qui uno ductu in longitudinem peragitur, cui nempe *scamnum* opponitur in latitudinem [b]), in re castrensi (Charisio teste [c])) *intervallum turmarum* significet *in quo equi strigantur*. Quo sensu graece fortasse vocem τὰς στρίγας usurpavit Constantinus Porphyrogenitus *de caerem. aulae byzantinae* lib. I cap. 69 tom. I pag. 182 Reisk., etsi in eo loco τρίγας legere mavult Reiskius, non στρίγας. Confer quoque quae de ea voce ad Hyginum gromaticum adnotantur in editione anni 1660 amstelodamensi [d]). Satis quoque e lexicis compertae ceterae vocis hujus *strigae*, vel (si mavis) *strigis*, unde, Rutgersio judice, *striga* serius factum est [e]), significationes. *Strigas* Festus [f]) exponit ordines rerum inter se continuate collocatarum, atque a stringendo dictas ait. Pro nocturnis avibus, et mulieribus maleficis *striges*, *strigasque* saepe dici, ecquis ignorat? Striganum Iovem dixere fortasse cujus simulacrum in agri striga fuerat consecratum. Nam pro Plutone intelligere, quasi strigarum Iove qui nocturnis avibus et maleficiis praeesset, nimis argutum atque exquisitum judicium videri posse arbitramur.

(62)

IVNONEI
LOVCINA

E museo Borgiano aereao lamellae insculptum, cujus formam et characteres expressimus tabulae nostrae I figura 4. Videtur ea lamella sacro cuidam donario olim adhaesisse, clavis in foraminibus, quae in unoquoque angulo conspiciuntur, immissis. Vetustam sapit quoque ὀρθογραφίαν, et notandum insolens plane LOVCINA pro LOVCINAI. Videtur lamellae scriptor τὸ I extremum omittendum censuisse, quod faciunt Graeci in ι subscripto dativi, et in dativis quartae declinationis saepe Latini, probante maxime Caesare in libris *de analogia* (vide Gell. *noct. attic.* lib. IV c. 16). De Iunone Lucina cuncta pervulgata. Comparanda cum hac nostra plane est inscriptio apud Fabrettum (pag. 697) et Muratorium

a) Litteris NE in nexu.
b) Frontin. *de agror. qualit.* p. 38 Goes. Aggen. *in eumd. comment.* pag. 46: vide quoque Hygin. *de limit. constit.* p. 198 seq. Goesio tamen judice, *scamnum* et *striga* non sulcos sed agros ipsos significant, qui vel in latitudinem, vel in longitudinem excurrunt. Vide *antiquitat. agrar.* cap. 10.

c) Lib. I. pag. 84 Putsch.
d) Pag. 5, 8 seqq., 62, 152. Vide Rutgers. *var. lection.* lib. I cap. 11 et Schneideri indicem ad *scriptor. de re rustica* v. *striga*.
e) Loc. cit. lib III cap. 9.
f) S. v. *strigae*.

Digitized by Google

(pag. xv n. 5), quam IVNONI LVCINAI *pro filia partu* (vel *parva*) *laborante suscepto voto Statilia* D. D., item haec apud de Vita (*antiq. benev.* tom. I class. I n. 8 pag. I):

IVNONEI · QVIRITEI · SACRA
C · FALCIDIVS · L · F · CONSOL
DEDICAVIT

Sed utraque suspecta cl. Orellio *latin. inscript. collect.* n. 1295, 1305. In marmore pisaurensi habes quoque MATRE · MATVTA pro *Matri Matutae* et MATRONA pro *matronae*. Vide Maffej. *osserv. letter.* tom. V p. 187, Olivieri *marm. pisaur.* p. 201, Lanzi *saggio* tom. I pag. 101 et 125 secundae edit.

(63)

IVNÓNI · S · M · R
Q · OLIVS · PRINCEPS
REIDEMPTOR · OPER
PVBLICORVM
LANIVINORVM
DE · S · D · D

Edidit e Vulpio *vet. Lat.* lib. VIII Muratorius pag. MLII n. 6, aitque in oppido Civitatis Laviniae apud Carolum Borellum exstitisse. Nibbyus (*viaggio antiquario* tom. II pag. 186, 187) edidit quoque anno 1819, exstare in eodem oppido testatus. An idem sit exemplar, quod hodie apud nos visitur, an aliud plane diversum et repetitum ejusdem inscriptionis, haud facile dixerimus. Nostri lapidis lectio, quam emendatam supra dedimus, differt ab editis, in quibus lin. 2 REDEMPTOR legitur et lin. extr. DE·S·D·D, quum in nostro lapide sit REIDEMPTOR (*sic*) et DE · S · D · D i. e. ut interpretamur *de sententia decurionum dedit* vel *dedicavit*. De his vero notis D · S · D earumque, quam proposuimus, interpretatione, vide Marinium *arvali* tom. II pag. 543. Sic et DE · S · S · *de senatus sententia* passim (Marin. *ibid.* p. 557, 628, et Borghes. *giorn. arcad.* 1822 p. 360, I). De illustri Latii urbe Lanuvio, cultaque ibidem Iunone *Sospita Magna* vel *Maxima Regina*, vide praeter eumdem Vulpium late disserentem Viscontium *mus. Pio Clem.* tom. II ad tab. 21, Bottarium *mus. Capit.* tom. III tab. V, Eckh. *doctr. num.* tom. V p. 293 seqq. *Redemptor* porro fuit publicorum operum Q. Olius Princeps, i. e., ut Festus explicat, *qui cum quid publice faciendum aut praebendum conduxerant, effecerantque, tum denique pecunias accipiebant* (voce *redemptor*). Vide de exactoribus et redemptoribus operum publicorum doct. Mazochium in *amph. camp.* pag. 158 et 163, et quae de his verbis *opera publica* lectu digna habet Marinius *arval.* p. 773, ubi et de discrimine inter *opera* et *loca publica*. *Redemptores operum caesareorum et publicorum* ex aliis inscriptionibus novimus: vide Morcellium *oper.* tom. II p. 38, Orell. n. 1523, et 3237. *Curatorem aedificiorum publicorum* dat nobis inscriptio apud Antonini *Lucan.* tom. I pag. 225, et *procuratorem operum publicorum* legimus in hoc inscriptionis frustulo, quod inventum apud Tranum, nobilem Peucetiae urbem, edidit collega noster Ios. Castaldius in *actis nostrae academiae* volumine III pag. 24:

....
....
PROCVRATORI · OPER · PVBLIC
PRAEP · LEG · VII · FR
PATRONO · OPTIMO
....
....

LANIVINORVM pro Lanuvinorum positum, uti et alias CVR · RP · LANIVINOR (Gruter. pag. CCCLXXXI num. I). Similia exempla habes apud Marinium *arval.* p. 124, Gruter. pag. CCCXXX n. 3.

(64)

V I R I V S
MARCARIANVS · VC · DEAM CYBEBEN P · S

Digitized by Google

Subscripta imagini marmoreae sedentis deae. Edita a Gudio in *notis ad Phaedr.* lib. III fab. 20, qui ait in superiore palatii farnesiani parte anno 1662 se eam primum detexisse. Habet quoque Fabrett. p. 694 sed legit MARGARIANVS. Deam Cybebem pro deao imagine ut ex. c. ΔΙΑ ΦΡΤΓΙΟΝ in lapide Pompejis invento pro Iovis statua et in epigr. apud Martorell. *thec. calam.* p. 644: ΙΣΙΔΙ · ΑΠΟΛΛωΝΑ · ωΡΟΝ · ΑΡΠΟΚΡΑΤΗΝ, et in inscriptione Deli insulae ΒΑΣΙΛΕΑ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΤ ΣΩΤΗΡΟΣ ΟΙ ΝΗΣΙΩΤΑΙ ΑΝΕΘΗΚΑΝ (Champollion Figeac *annal. des Lagides* tom. II p. 404), et sexcenta similia. Frequentius in lapidibus *Cybele* ut apud Gruter. pag. XXVIII n. 6 CYBELES TRIODEIA SIGNA, et pag. XXXI num. 8 ANTE · AEDEM · DEAE · MAGNAE · CYBELES · etc. De nominis bujus orthographia vide notata a Gudio *l. c.* et quos memorat Ruperti in notis ad Sil. Ital. lib. VIII v. 363. In marmore apud Fabrett. (pag. 636) CYBELIAE, sed merito ejus marmoris suspecta fides est cl. Borghesio. Vide ejus quantivis pretii *explicationem diplomatis militaris Trajani Decii* Romae editam anno 1840 pag. 49 et seq. ubi et inscriptionem edidit Romae nuper repertam in qua legitur DEAE · OMNIPARENTI · CYBALAE.

(65)

M · MAGRIO · BASSO · L · RAGONIO
QVINTIANO · CoS · K · IVNIS
CVMIS IN TEMPLO DIVI VESPA
SIANI · IN ORDINE DECVRIONVM ·
QVEM M · MALLONIVS VNDANVS
ET Q·CLAVDIVS·ACILIANVS·PRAET
COEGERANT SCRIBVNDO SORTE
DVCTI ADFVERVNT CAELIVS PAN
NYCHVS CVRTIVS VOTIVOS·CONSI DI
VS·FELICIANVS·REFERENTIBVS PR
DE SACERDOTE FACIENDO·MATRIS
DEAE BAIANAE IN LOCVM · RESTITVTI
SACERDOTIS DEFVNCTI·PLACVIT·VNI
VERSIS · LICINIVM SECVNDVM
SACERDOTEM FIERI
XV· SAC FAC PR
ET MAGISTRATIBVS CVMAN · SAL
CVM · EX EPISTVLA VESTRA COGNOVE
RIMVS CREASSE VOS · SACERDOTEM
MATRIS DEVM · LICINIVM · SECVNDVM
IN LOCVM·CLAVDI·RESTITVTI·DEFVNC
CVI SECVNDVM·VOLVNTATEM VESTRA
PERMISIMVS · EI · OCCAVO · ET
CORONA DVM · TAXAT INTRA ·
FINES COLONIAE·VESTRAE·VTI
OPTAMVS VOS BENE VALERE
PONTIVS GAVIVS MAXIMVS
PROMAGISTRO SVBSCRIPSI XVI KAL
SEPTEMBRES M · VMBRIO PRIMO
T FL COELIANO COS

Anno 1785 prope Bajas inventa pertinuit primum ad virum eruditum Ferdinandum Galianum, ac peculiari commentario illustrata est a Io. Ant. Cassitto, edito

Digitized by Google

in *diario encyclopaedico neapolitano* anni 1786: edita est quoque a Iosepho Thomassino ad calcem *comment. in marmor corfiniense*, ab Ancora *guida* etc. p. 105, 6, et saepe deinde ab aliis. Vide Morcellii *opera epigraphica* vol. v pag. ix, Attellis *principii della civilizzazione* etc. tom. ii p. 396 seqq., Romanelli *viaggio a Pompei* etc. tom. ii p. 183 seqq. et *topografia* tom. iii p. 511 seqq., Orelli *latin. inscr. collect.* tom. i n. 2263 etc. Apud neminem plane tamen legitur emendata. Nos editorum σφάλματα singillatim indicare noluimus, cum facile sit ea deprehendere lectionem nostram, quae est emendatissima, cum eorum lectionibus comparanti.

Lin. 1. M · MAGRIO · BASSO. Prima inscriptionis pars decurionum cumanorum decretum continet, quo Licinius Secundus sacerdos Matris Deae Bajanae renunciatur. Coss. M. Magrius Bassus et L. Ragonius Quintianus pertinent ad annum post Christum 289, Diocletiani et Maximiani imperii sextum. Male fasti ad eum annum pro Magrio Basso Annium Bassum ii obtrudunt. Vide cl. Clementem Cardinali in *memorie romane di antichità* tom. i p. 251.

Lin. 6. PRAET. Praefectos pro ii viris saepe in coloniis renunciatos fuisse, ejusque rei exemplum esse et in cenotaphiis pisanis, res est pervulgata. Vide Noris. *cenot. pis.* p. 34 seqq. etc. De his praefectis supra quoque diximus ad num. 26 seqq. In marmore tamen perspicue legitur PRAET an quadratarii errore pro PRAEF? Haud facile credendum, quum ratio haud improbabilis reddi possit cur de PRAETOribus Cumanis ea vox intelligenda videatur. Novimus enim e Cicerone Capuae duumviros praetores se appellari voluisse (*de lege agraria* orat. ii cap. 34). Hinc puteolanos praetores Cn. Cn. Luccejos patrem et filium deprehendisse sibi visus est Ignarra in lapide quem edidit *de pal. neapol.* pag. 161, seq., ubi et praenestinum praetorem meminit, de quo Plinius *hist. natur.* lib. xvii c. ii, et nolanum, de quo Livii *epit.* LXIII. Etiam Orellius praetorem municipalem adgnoscit e Gruteriano marmore pag. CCCCXXIV num. 7, ad quod notavit Hagenbuchius sine caussa displicuisse illum Gorio *symb. litt.* tom. i pag. 166. Subdit Orellius: *Certissimus est praetor Capenas apud Gud. 91, 8, sive Murator. 239, 6 quem lapidem dedimus supra. Praetor Puteolanus memoratur in inscriptione admodum corrupta et mutila, Spon 182, 3. Cf. Otto Aedil. p. 73. Item in alio lapide apud Ignarra pal. neap. p. 162 (latinar. inscript. collect.* tom. ii pag. 174). Quibus freti exemplis ipsos hic ii viros cumanae coloniae *praetorum* nomine designari censemus.

Lin. 7. SCRIBVNDO · SORTE · DVCTI · ADFVERVNT *etc.* Tres hic, non sex decuriones memorantur, ut perperam Cassitto visum (Caelius Pannychus, Curtius Votivus, Considius Felicianus), qui scribundo adfuisse dicuntur, quod Aegyptius de iis intelligi vult, qui scribarum functi sunt munere (*ad S. C. de Bacch.* p. 148). Sed conferendus Brissonius *de formul.* pag. 179, Casaubonus ad Lampridii *Elagab.* c. 4, Morcellius *de stilo* tom. i. pag. 295, et summus Viscontius *monum. gab.* ad tab. xvii. Nova porro neque alibi obvia formula SCRIBVNDO SORTE DVCTI ADFVERVNT. Ceterum qui numerus decurionum in nominationibus et gestis municipalibus necessarius fuerit, pete ex legibus 84, 142, et 151 tituli *cod. theodos. de decurionibus.* Nota omitti hic decurionum praenomina, quod saepe fit in iis praecipue lapidibus qui seriem ac catalogum nominum exhibent. Exempla habes apud Gruterum frequentissima ut p. CLXIX n. 7, CCXIV, CCLVI n. 2, CCLVIII n. 8, CCLXVIII n. 1, CCCXXX n. 2, CCCLV n. 1, CCCLXII, CCCCXLIII n. 6, MLXXIX n. 6 etc. Vide quoque inscriptionem apud Orellium n. 4983, repetitam in *memorie dell' istit. archeol.* tom. i pag. 319, et Murator. p. DLXIX, DLXV, Fabrett. pag. 333, Kellermann *vigilum romanorum latercula* tab. ad pag. 26 et pag. 30 n. 14, pag. 38 num. 48, pag. 52 n. 106, et pag. 53 pass., Guasco *mus. capit.* tom. i p. 183, 230, Furlanett. *lapid. d'Este* pag. 74, 110 etc.

Lin. 9. VOTIVOS. Hujus orthographiae exstant exempla et in sequioris aetatis monumentis. Sic PRIMITIVOS primo casu

in inscriptione Commodo imperante posita, apud Gruter. pag. CXXVII, LASCIVOS a) in alia inscriptione anni urbis 922, M. Aurelio imperante (*ibid.* p. MLXXXIX n. 6), VIVOS in inscriptione Ti. Claudii Iuliani medici clinici quem cl. collega noster Constantius Gazzera libertum ejus Claudii Iuliani arbitratur fuisse, qui sub Autonino Pio consulatum gessit (*notizia di alcuni nuovi diplomi militari* pag. 11).

Lin. 11, 12. MATRIS DEAE BAIANAE. Nova admodum ratione dicitur hic Cybele *Mater Dea*, quae in ceteris marmoribus, quantum equidem meminimus, Mater Deum appellatur, uti et infra lin. 20. Apud Gruterum quoque pag. XXVIII n. 3, et Muratorium pag. CLXXXV n. 3 memoratur *Mater Deum magna Idaea Palatina.* In hac linea et sequentibus saepe Λ scribitur pro A, de qua forma diximus supra ad num. 24.

Lin. 14. LICINIVM SECVNDVM. Apud Marinium (*arval.* pag. 611) habes *Licinium Tertium.* Apud Gruter. p. CCCCXLIV n. 8 memoria est *auguris ex D. D. creati.* Vide et Aldini *lapidi ticin.* p. 100.

Lin. 15. Sequitur jam rescriptum quindecemvirum S. F. quo sacerdoti permittitur *occabo* uti et *corona.* Esse haec peculiaria Cybeles sacerdotibus insignia, atque a XVIRIS *sacris faciundis* iis concedi solero inviete probat et lugdunense marmor a Bozio (*mem. de l'acad. des inscr. et b. l.* tom. II pag. 444) aliisque editum, ubi de sacerdote Cybeles

SACERDOTE
Q · SAMMIO · SECVNDO · AB · XV · VIRIS
OCCABO · ET · CORONA · EXORNATO

Probare id etiam videtur inscriptio apud Fabrettum pag. 666 ubi dicitur Crescens, qui cum Leontio orgia Rheae peragens criobolium et taurobolium fecerat,

ΕΚ ΔΕΚΑ ΠΕΝΤ' ΑΝΔΡΩΝ ΦΟΙΒΟΥ
СΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟС ΙΡΕΥС

Quae tamen inscriptio rectius de XV viro Phoebi sacerdote accipienda videtur, non de Phoebi sacerdote cui XV viri coronae usum indulserint. Sic enim Crescens et Leontius dicitur XV · VIR · PHOEBI · CORONATVS · SACERDOS in inscriptione nuper Romae reperta, atque a clar. Borghesio edita, de qua mentionem supra fecimus, et quam mox dabimus quoque *ad num. 65.*

Lin. 18. EPISTVLA. Sic et alibi. Gruter. p. MLXXXI n. 1 etc. Marin. *arval.* p. 775. Vide quao notat cl. Labusius *biblioth. italicae* tom. III pag. 429.

Lin. 21, 22. DEFVNC. CVI. Scripta haec judicat Cassittus errore quadratarii pro DEFVNCTI. Potest et CVI παρέλκειν. VESTRA pro vestram, suppressa, ut centies alias, M in fine vocis. Vide Marinii *iscriz. Albane* pag. 93 et passim alios.

Lin. 23, 24. OCCAVO · ET · CORONA. De *occabo* mentio apud Hesychium qui sic definit ὄκχαβος τὰ περὶ τὸν βραχίονα ψέλλια, ad quem locum miramur viros doctos non meminisse et Didymi *scholiorum ad Iliadis* lib. Ω v. 272 verba haec, quibus Homeri illa, ἐπὶ δὲ κρίκον ἕστορι βάλλον, sic exponit: ἀντὶ τοῦ, τῷ δὲ ὀκχάβῳ τὸν ἕστορα ἔβαλον: quae eadem repetit et etymologici magni auctor s. v. Ἕστωρ. Vide Bozium l. c. pag. 461 et seq., Philippi a Turre *explicationem marmoris taurobolici in sallengriani thesauri* tom. III p. 862, et Sylburgii notas ad etymol. *l. c.* E quibus cum pateat *occabum* non armillas tantum quae brachiis aptabantur, sed *κρίκον* quoque in genere designaro, pro torque hic potius recte ea vox a Marinio accipi videtur (*arval.* tom. I pag. 315), instituta praecipuo comparatione cum anaglypho L. Lartii Anthi *cistophori aedis Bellonae Pulvinensis*, quod est apud Muratorium (tom. I pag. CLXXIX num. 1) et Donatum (pag. LX tab. VIII), alioque Lanuvii reperto Archigallum referente, edito atque illustrato a D. Georgio anno 1737 Romae, et cujus repetit effigiem Muratorius (tom. I pag. CCVII) idemque Marinius *l. c.* In utroquo enim sacerdotis figura corona et torquo (non ar-

a) Legitur cognomen LASCIVOS in inscriptione gruteriana pag. CMLXVIII n. 13, posita FRONTONE · ET · CANDIDO · COS, i. e. ante annum urbis 858, quo Ti: Julius Candidus II consul processit. Vide Marin. *arval.* pag. 192 et 737, Gervasio *sopra una iscrizione sipontina* pag. 9, 10. SERVOS in lapide aetate Neronis posito apud Fabrett. p. 317 etc.

milla) exornatur. Ceterum de coronis sacerdotum plura lege apud Marinium eumdem, ceterosque. *Coronatum* gentis Flaviae pontificem dat Muratorius pag. CLV n. 3, et *coronatum* quoque *sacerdotem arae Aug. N.* (ib. n. 2): cum his comparat Orellius *ornatos* quoque et *capulatos* sacerdotes ceterorum lapidum (*latin. inscr. coll.* tom. I num. 2172, 3). Vide praeterea de sacerdotum coronis ab Avellinio notata in actis nostrae academiae tom. II pag. 3 seq.

Lin. 24, 25. DVM · TAXAT · INTRA · FINES · COLONIAE etc. Bene haec Cassittus illustravit allata leg. 53 cod. *de decurion*: *Duumvirum impune non liceat extollere potestatem fascium extra metas territorii propriae civitatis.* Vide quae de vocis *dumtaxat* scribendae ratione e monumentis nuper adnotavit Cardinalis *diplomi militari* pag. 21, 22, et confer quae de ea re e Maffejo et Zacharia notaverat Villoisonus *anecd. graec.* tom. II p. 155.

Lin. 27. PROMAGISTER. Quindecemvirum magistros memorat et Plin. *hist. nat.* lib. XXVIII c. 2 et fasti capitolini (vide Gruter. pag. CCXCV). Eorum promagistrum praeter hanc inscriptionem memorat quoque marmor in quo ex auctoritate M. Aurelii Antonini aug. ET · DECRETO · COLL · XV · SAC · FAC · SERVIVS · CALPVRNIVS · DOMITIVS · DEXTER · PROMAGIST · ARAM · CIRCES dicitur restituisse. Vide Donium class. I n. 31, Murator. pag. CCCLIII n. 3, Morcellium *de stilo* tom. II pag. 24. Qui duorum marmorum consensus in memorando hoc promagistro XV virum satis esse videtur ad omnem νοθείας secundi hujus marmoris suspicionem avertendam, de qua suspicione lege Orellium ad n. 1849. Caeterum Arvalium promagistri passim in eorum actis memorati. Vide praecipue Marinium *arvali* pag. 54 seq. qui cum hac nostri lapidis subscriptione comparat eam quae est in lapide gruteriano pag. DCVII, n. 1, (quem ad autographi fidem aere insculptum dedit Ficoronius *bolla d'oro* pag. 70) IVBENTIVS · CELSVS · PROMAGISTER · SVBSCRIPSI.

Lin. 29, 30. M. Vmbrius Primus, T. Fl. Coelianus coss. fastis ignoti. Bene conjecit Cassittus esse ejusdem anni 289 coss. suffectos. Quod non modo probat clar. Borghesius (*diploma militare di Trajano Decio* pag. 63), sed nostri quoque lapidis auctoritate usus docet, ea aetate consulatum non quadrimestre ut prius, sed semestre fuisse. Iuniis enim Kalendis consulatum adhuc gerebant ordinarii Magrius et Ragonius; sed jam augusto mense suffecti his fuerant Vmbrius Primus, et Fl. Coelianus.

Patet denique ex hoc lapide Bajas, sive id oppidi, ut Aegyptio visum (vide ejus epistolam in Antonini *Lucan.* tom. II pag. 209 edit. 1797), sive orae tantum et loci nomen fuerit, in Cumana positas ditione, qua de re videndus Cassittus. Probatum jam id dederat vel ante hujus marmoris inventionem Marcellus Scottus in opere: *dissertazione corografico-istorica delle due antiche distrutte città di Miseno e Cuma*, p. 113 seqq.

(66)

MVNATIA (sic)
REDDITA SA(sic)
CERDXV·VIR
TAVROBOL
FECIT
XII KAL·DEC
GLABRIoNE
II COS

Secundum Glabrionis consulatum (anno urbis 939, collega Commodo augusto V; vide Jansonii *fastos* pag. 142 et 301) memorat quoque inscriptio Gruteriana pag. LXXXXIV n. 2 et CCCXLIV n. 1 et 4, item alia apud Marinium (*arvali* pag. 167), qui et primus nostram hanc Munatiae ἐπιγραφὴν edidit, a Francisco Daniello, in cujus museo tunc exstabat, accepto ἀπογράφῳ. Comparat is eam cum tabulae XXXII arvalium linea 21, ubi quoque unius consulis L. Tutilii Pontiani Gentiani mentio fit, ut in nostra solius Glabrionis: quod ea de caussa factum in utroque lapide suspicatur, quod consulatu jam abdicato a Commodo, nondum suffectus ei

Digitized by Google

datus fuerit. Quod vix tamen de nostro hoc lapide credi potest: qui enim fieri potuisset, ut anno jam ad finem vergente suffectus Commodo consul nondum renunciatus fuerit? Videtur itaque potius brevitatis gratia solius Glabrionis iteratus consulatus indicari, qui nisi in annum urbis 936 cadere non poterat. Sic quoque in inscriptione taurobolica Lugduni reperta anno 1821, et quae spectat ad annum urbis 943, quo Commodus ipse VI et Petronianus consules processere, Commodi nulla fit mentio, et scribitur tantum MARCO SVRA SEPTIMIANO COS (Vide *mémoir. des antiqu. de France* tom. V pag. 88). In tusculano lapide apud Caninа (*l'antico Tuscolo* pag. 176) abraso Commodi nomine, solus Glabrio II cos memoratur. Ceterum et alia sunt exempla unius tantum consulis memorati ad annum indicandum, ut in tessera gladiatoria Felicis Mundicii C. SENTIO (Fabr. pag. 58), in inscriptione quam e Vignolio (*de columm. Anton.* p.337) et Ficoronio (*Labico antico* pag. 36) dat Cecconius (*storia di Palestrina* pag. 169), et praeter alios repetit Morcellius *de stilo* tom. I pag.44, ubi legas T · VINIO · COS, suppresso Galbae nomine, qui consul cum Vinio fuit anno urbis 822, amboque eodem die interfecti (Tacit. *histor.* lib. I cap. 42). Item in inscriptione Claudiae Atticae IMP · CAESAR · DOMITIANO · AVG · GERMANIC · XI · COS apud Maffejum *mus. veron.* pag.LXXXII n. 2 et Morcellium *l. c.* pag. 45; in inscriptione mediolanensi (Gruter. pag. XV n. 3) FONTEIO · CAPITONE · COS; in ara apud Gruterum pag. CVIII n. 7, ubi HIBERO · COS iterumque SERVIANO · III COS (vide de ea inscriptione quoque Guasco *mus. capitol.* tom. II p. 45): quae eadem unius Serviani III · cos mentio occurrit et in lateribus litteratis quibusdam. Vide clar. Guariui *di alcuni tegoli scritti* pag. 9. Nihil hic moramur lapides serioris aevi in quibus saepissime unus tantum e duobus consulibus, orientalis altero, altero occidentalis imperii, memoratur. Vide quae post alios ea de re habet Mongezius *histoire de la classe d'histoire et de litter. anc. de l'institut de France* tom. I p. 248 seqq. Anno igitur 939 taurobolium fecit Munatia Reddita, cujus rei testem hunc lapidem esse voluit, quod saepe et ab aliis factitatum. Ex hujusmodi lapidibus vetustissimos eos praedicat Vandale *dissert.* p. 7, Reinesium secutus (pag. 76), qui taurobolia memoraut ab Aurelia Oppidana et Aufidia Prima facta anno urbis 929, adeoque nostro hoc taurobolio decennio tantum vetustiora. Sed illud vetustate superat taurobolium in lugdunensi inscriptione memoratum anno urbis 913. Vide Philippi a Turre de ea inscriptione explicationem insertam *thesauri Sallengriani* tom. III p. 863, Bozium *mémoires de l'ac. des inscr. et b. l.* tom. II pag. 443 seqq., *marmora Taurinens.* tom. I p. 19, 20, etc. Quid autem *facere taurobolium* proprie sit, docte tradit idem Vandale *l.c.* p.61 et seqq., et *fecisse* saepe feminas, lapides plures testantur. De XV viris sacris faciundis taurobolium accipientibus mentio quoque saepe in lapidibus. Vide eumdem Vandale p. 29, graecam inscriptionem apud Fabrett. p.666, et alias p. 609, 659, et 665, in qua tamen taurobolium confecisse dicitur PONTIF · ET · DECEMVIR · SA · F · etc. In inscriptione apud Odericium (*dissertat.* pag. 132) dicitur Kamenius *quindecemvir s. f. tauroboliatus D. M.* (*Deum matris*). Addendus quoque lapis Pompeji Felicissimi, nostri hujus musei, a nobis suo loco edendus inter honorarios. Fuisse vero et feminas in id collegium receptas, praeter nostram hanc epigraphen docent quoque lapides duo a de Vita editi *antiqu. benev.* tom. I p. II n. 9, et 11, in quorum uno sic legas: TRADENTIB · SEPTIMIO PRIMITIVO AVGVRE ET SAC · SERVILIA · VARIA ET TERENTIA FLAVIANA SACERD · XVVIR. Alter vero sic habet:

ATTINI SACRVM
ET MINERVAE
PARACENTIAE
TERENTIA FLAVIANA
SACERDOS SECVNDO LOCO XV
VIR · OB · TAVROBOL · TRA
DITVM A SERVILIA
VAR · SAC · PRIMA

Quindecemviralis porro hujus feminarum sacerdotii exstat et exemplum in

brixiano marmore apud Muratorium (pag. CLXII n. 4):

D · M
CAECILIAE · PROCVL
SACERD · XV · VIRALI
L · ACVTIVS
CAECILIANVS · ALVMNVS
ET · P · ACILICO · SVRO · NVTRI

Quod quindecemvirale tum virorum, tum feminarum sacerdotium ad cultum Matris Deum pertinens distinguendum clar. Orellio (*inscript. latin. collect.* ad n. 2263) videtur a XV viris sacris faciundis Romae institutis, de quibus notavit Servius (*ad Aeneid.* lib. VI v. 73) *primum duos librorum* (sybillinorum) *fuisse custodes, inde decem, inde quindecim, usque ad tempora Syllana. Post crevit numerus; nam et sexaginta fuerunt; sed remansit in his quindecemvirorum vocabulum.* Male itaque Romanum hoc XV virum collegium cum XVIRIS Matris Deum a plerisque confusum docet Odericius *dissertat.* p. 153. Ceterum notanda hoc potissimum loco est, quam supra saepe memoravimus, inscriptio nuper a clar. Borghesio edita, ac Romae recens reperta, e qua patet duos ipsos Phoebi XVVIROS criobolii et taurobolii Cybeles aram erexisse. Ea est hujusmodi:

MATRI · DEVM
XV · VIR · PHOEBI · CORONATVS · SACERDOS
CRESCENS · DIVINVSQVE · LEONTIVS · SAPIENTES · VIRI
P ALTER · QVIDEM · AB · ORIENTE · ALTER · VERO · AB · OCCIDENTE
RITVS · SIMVL · PERAGENTES · DEAE · OMNIPARENTI · CYBALAE
CRIOBOLII · VICTIMAE · ET · TAVROBOLII · OPTIME
P SANGVINIBVS · SACRIS · ARAM · EREXERE

(Vide *nuovo diploma militare dell'imper. Trajano Decio* pag. 50). Nuper de taurobolio, atque inscriptionibus Lactoratium in Gallia ad taurobolia pertinentibus commentatus est cl. Chadruc de Crazanne (*mémoires de la société des antiquaires de France* tom. XIII pag. 121 seqq.).

(67)

SOLI INVICTO DEo
ATIMETVS AVGG NN *ser · act*
PRÆDIORVM (sic) ROmanianorum

Similem inscriptionem sed magis integram edidit Marin. *arval.* p. 808, quam exstare ait in vaticano museo, anaglypho Mithriaco subscriptam. Ex ea videtur fragmentum hoc nostrum exscriptum, de cujus γνησιότητι ut dubitemus facit ipsa characterum forma a proba et vetusta abhorrens; tum spatia inter unamquamque vocem vacua, punctis omissis, et in tertia linea insolens plane scripturae compendium Æ. Post vocem PRÆDIORVM est quoque in nostro marmore incertae significationis figura insculpta, quam damus tab. nostrae I fig. 5. De servis actoribus et ceteris inscriptionibus in quibus ii memorantur, vide eumdem Mariu. *l. c.* et compara quae de iis habent Pignor. *de serv.* p. 304, Popma *de operis serv.* pag. 17, Guter. *de off. dom. Aug.* lib. III cap. 18 p. 573 cet. Actor Caesaris ADCASTOR ET ADLORICATA habetur apud eumdem Marin. p. 518. Propius ad nostrum accedit ACTOR · PRAEDIOR · TVBLINAT ex inscriptione muratoriana (pag. LXXXIX n. 55), quam emendatiorem e cl. Labusii *dissertazione* etc. pag. 67 dedit Orellius (*latinar. inscr. coll.* n. 1773). Sic et in marmore gruteriano (p. MLXIX n. 8) habetur Titi Vespasiani SER · PECVL · VILICVS · PRAEDIOR · PEDVCEANORVM. In Gudiana inscriptione (pag. CXVI n. 8) M. Aurelius Aug. lib. dicitur PRAEF · PRAED · SIC, idest, Orellio judice (l. c. n. 3355), *praefectus praediorum imperatoris in Sicilia.* Apud Fabrettum *de columna Trajana* pag. 205 SER · ACTOR · HORTIS · ABONIANIS.

(68)

OMNIPOTENTI DEO MITRHAE · APPIVS CLAVDIVS · TARRONIVS · DEXTER · V · C · DICAT

Anaglypho Mithriaco adscripta, ita ut prima linea in superiore parte, altera in inferiore legatur. Edidit Capacius *hist. neap.* lib. 1 cap. 14 tom. 1 p. 169, aitque ante D. Antonii fores extra urbem nostram positum. Epigraphen vero sic legit:

OMNIPOTENTI · DEO · MITHRÆ
APPIVS · CLAVDIVS · TERRONIVS · DEXTER
V · C · DICAVIT

Repetit anaglyphi effigiem Summontius *histor. di Nap.* lib. 1 p. 75 seq., qui sic legit inscriptionem:

OMNIPOTENTI · DEO · MITRAE · APPIVS
CLAVDIVS · TARRONIVS · DEXTER · V · C · DICAT

Dubitat vero Summontius, an idem sit marmor quod Benedictus de Falco (*descritione de' luoghi antiqui di Napoli* edita a. 1568) inventum ait in Puteolana crypta, cujusque epigraphen legit eodem pacto ac Summontius, litteris tantum aliter dispositis. Perperam vero Summontius in eo, quod edit, marmore deesse ait nomen DEXTER, idque contra ectypi sui fidem, quod illud habet. Simile aliud monumentum, sed ἀντίγραφον, exstare ait in aedibus Io. Andreae Boniti ad D. Mariae aegyptiacae. Scribit porro Zoega nostrum se hoc marmor legisse et descripsisse in museo quod erat in regio palatio *Capimontii*, sed minus quoque emendatam profert epigraphen: aliud vero anaglyphon a Summontio memoratum idem esse putat quod suo tempore Mazochius noster (*spicileg. bibl.* tom. II p. 86) *ingens atque inaestimabile* appellavit, et exstare inquit apud Ioannem Carafam Nojae ducem. Vide Zoega's *Abhandlungen* ex editione cl. collegae nostri Welckeri p. 151. Ejus marmoris ἀντιγράφου mentio item fieri videtur a Capacio (*l. c.* p. 174) qui exstare illud ait in regione D. Annunciatae. Vide quoque cl. Welckeri adnotationes ad Zoegam *l. c.* pag. 397 seq. qui dubitare videtur an a Summontio editum marmor idem sit, quod et Capacius edidit, et ante eum Pignorius in *auctar. ad Cartar.* pag. 294. Sed etsi Capacii et Summontii ἔκτυπα in aliquibus differre inter se videantur, idem tamen ab utroque monumentum, non duo diversa, exhiberi, invicte probat loci, in quo asservabatur, indicatio apud utrumque plane eadem, idest aedes D. Antonii. Pignorius vero *ad Cartarii imagines* pag. 465 edit. Patavinae anni 1626 romanam exhibet et a nostro diversam Mithrae imaginem. Vide etiam de duobus neapolitanis hisce anaglyphis cl. Hammeri *Mithriaca* pag. 100 seq. Gruterus vero pag. XXXIV num. 1, hanc e Smetio et Pighio epigraphen refert, et tertio ab urbe Neapoli miliari sub monte Vesuvio in villa Bernardini Martirani exstitisse ait:

OMNIPOTENTI
DEO · MITHRAE
APPIVS · CLAVDIVS
TARRONIVS · DEXTER
V · C · DICAT

De Mithrae religione atque anaglyphis ad eam pertinentibus plura plures: sed vide praecipue Cuperi *Harpocr.* p. 446 seqq. tom. II thes. Poleniani, Philippi a Turre *monum. veteris Antii* p. 157 seqq., Martin *explic. de divers monum.* pag. 231 seqq., Visconti *mus. pii clem.* tom. VII ad tab. 7, Zoegae, et Hammeri opera quae laudavimus, Creuzer *Dionys.* pag. 88 et *réligions de l'antiquité* versionis Guignautianae tom. I pag. 346 seqq. 728 seqq., et, ut ceteros mittamus innumeros, cl. N. Mülleri dissertationem germanice inscriptam *über das Heddernheimer Mithras-monument in Museum zu Wisbaden*, insertam actis societatis *für Nassauische Alterthumskunde* part. II fascic. I anni 1832, item cl. Lajard in *nouvelles annales de l'institut de correspond. archeol.* vol. I pag. 204, a quo viro nova et praeclara ea de re exspectamus.

Digitized by Google

(69)

APOLLINI CVMANO
Q · TINEIVS · RVFVS

Arae insculpta quae anno 1817 reperta est Cumis in ipsis, ut videtur, Apollinis templi, quod a Romanis aedificatum putatur, ruinis. Vide collegam nostrum de Jorio pag. 79 operis inscripti *guida di Pozzuoli*, ubi inscriptionem quoque edidit: transtulit ex eo Orellius (*latin. inscript. collect.* n. 1457). Sed illud monendum fuerat, quod arae inferior pars abrupta, superior in coronidis formam expressa, non uno est loco effracta: itaque litterae quae in summa ipsa coronidis fascia insculptae erant, periere, praeter has ultimas quae dubiae quoque sic leguntur

.... GNC. . S

Verisimile est arae dedicationis diem et consules ejus anni, uti moris erat, fuisse inscriptos. Sed et illud monendum restat quod ipsa superior arae superficies in hemisphaerii formam excavatur, atque ad dextrum hemisphaerii latus cavum exstat in exteriorem faciem pervium, quo nempe loco et ipsa exterior facies nonnihil in summa sui parte excavata est, sic uti et coronidis pars quaedam ex eo latere studio videatur abrupta. Aliud quoque est cavum in ipso latere sed inferius, quod ab exteriori facie in interiorem arae partem, atque ipsum meditullium demittitur. *Cumani* cognomen Apollinis in marmoribus adhuc incompertum; Apollinem tamen ipsum cumanum nemo nescit a Virgilio potissimum celebrari (*Aeneid.* lib. IV v. 9 etc.), eique templum in ipsa Cumarum arce vetustissimum posuisse Daedalum fugientem *Minoïa regna* fama erat. Et hunc ipsum Apollinem *Cumani* cognomine, quod in lapide nostro legitur, indicat Florus (lib. II c. 8): *quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret*: de quo prodigio vide et Ciceronem *de divinat.* lib. I c. 44, et Obsequentem *prodigior.* cap. 114. Eumdem Apollinem *Cumani* quoque appellatione significat divus Augustinus (*de civit. Dei* lib. III c. II), cum ejus simulacri fletum narrat, de quo videndus quoque Livius lib. XLIII cap. 13 et Obsequens *l. c.* c. 87, item notae Freinshemii ad citatum Flori locum. Tineius Rufus, judice Marinio, memoratur in nummis Bizyenorum Thraciae sub Hadriano percussis, in quibus legendum arbitratur ΕΠΙ ΤΙΝΕΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ (*arvali* pag. 664); de quo tamen jure dubites, cum aliter alii legerint (vide Eckhel *doctr. numor.* tom. II p. 26), et Mionnetus (tom. I pag. 372) det ΕΠ. ΕΙΤΕΙ. ΡΟΥΦΟΥ. Ceterum Q. Tinejus Rufus memoratur in fragmento fastorum sacerdotalium a Marinio editorum (*arvali* p. 166) Q · TINEIVS · RVFVS · LOCO · T · HOENI · SEVERI · COS. Idemque, ut videtur, in graeca epigraphe edita in diario *novelle di Firenze* (ann. 1764 pag. 484 et 1788 p. 229) consul memoratur anni post Christum 182, Commodo imperante: quem eumdem Q. Tinejum Rufum aram hanc Apollini Cumano dedicasse haud absurdum est suspicari. De Tinejis ceteris vide quae dat Marinius (*l. c.* p. 650 seqq.).

(70)

VOTO · SVSCEPTO
APOLLINI · ET · NYMPHIS
M · VERRIVS · CRATERVS · SOL..

Ornatur hac inscriptione marmor anaglyptum Apollinem cum tribus Nymphis exhibens. Inventum est Pithecusis atque ex eo alioque, quod sequitur, marmore, sat patet cultas ibi maxime cum Apolline medicinae deo et Nymphas. Fuisse vero Pithecusarum balnea (uti et hodie sunt) a veteribus celebrata sat notum. Vide Plin. lib XXXI segm. 5 *hist. nat.* qui *calculosis ea mederi ait*, atque Strab. *geogr.* lib. V pag. 248, qui pariter ait θεραπεύειν τοὺς λιθιῶντας. Notanda porro

Digitized by Google

est nostrae hujus inscriptionis loquendi ratio, *voto suscepto....solvit.* Anaglyphum alibi exhibebimus. In Vaticana inscriptione habes: NYMPHIS · DIVINIS · V · S · COMPOTE (sic) · FACTVS. Vide clar. Borghesi *giorn. arcad. lugl.* 1819 pag. 55.

(71)

ARGÉNNÉ · POPPAEAE · AVGVSTAE · AVGVSTI · LIBERTA
APOLLINI ET NYMPHIS · VOTVM · L · D

Et hoc adscriptum anaglypto marmori Apollinem cum duabus Nymphis exhibenti ac Pithecusis reperto. Notatu digna inscriptio propter Poppaeae mentionem quae nova adhuc dum ratione AVGVSTI (nempe conjux) dicitur, non addito Neronis nomine, ut alibi, ex c. apud Vermigliol. *iscriz. perugine* tom II pag. 370 POLYTIMVS · POPPAEAE · AVG · NERO..... DISPENSATOR · FORT... V · S. Ejusdem Poppaeae et obsonatorem e marmoribus novimus. Vide Orell. *latin. inscr. collect.* tom. I n. 733 et 2952. Et nuper e fistulis plumbeis Bajis inventis ejus etiam libertum, cujus sic ibi legitur nomen, C · POPPAEI · AVG*ustae* L · HERMETIS. Vide *bullett. dell' istit. di corrispond. archeol.* a. 1838 p. 77 seq. De Nymphis vero, vel ut lapides quidam loquuntur, Nymphabus aliis παρέδροις diis conjunctis vide Visconti *mus. pii clem.* tom. VII ad tab. 10, qui et erudite post Fabrettum caussam docet quare tres, ut plurimum, Nymphae in veterum monumentis exhibeantur: quod tamen perpetuum non esse probat vel hoc musei nostri marmor in quo duae tantum Apollini adstituuntur. In inscriptione apud Fabrettum *de columna Trajana* pag. 248 NYMPHIS GEMINIS. Vide aliam inscriptionem cum anaglypho Nymphas quoque exhibente *ibid.* pag. 174. Nuper marmor cum tribus Nymphis edidit cl. collega noster Lebas *mon. fig. cah.* 2 pag. 199.

(72)

APOLLINI · ET · NYMPHIS · NITRODIBVS
C · METILIVS · ALCIMVS · V · S · L · A

Pariter anaglypho inscriptum Pithecusis reperto, in quo tamen tres Apollini Nymphae adstituuntur. Singulari eae epitheto *Nitrodes* appellantur, e nitroso nempe earum fonte, qualem Pithecusis fuisse docent nomina adhuc ibi celebrata *fontana di Nitroli*, et *bagno nitroso*. Vide Iasolini *dei rimedii naturali che sono nell' isola d' Ischia* lib. II cap. 46, et 51. Vitruvius *de archit.* lib. VIII cap. 3: *est autem aquae frigidae genus nitrosum, uti Pinnae Vestinae, Cutiliis, aliisque locis similibus, quod potionibus depurgat, per alvumque transeundo etiam strumarum minuit tumores.* Vide et Plin. lib. XXXI segm. 2 et 32 qui et nitrosos fontes, quales et Cutiliae in Sabinis exstitere, purgationibus esse utiles ait. Idem *l. c.* segm. 6 *aquas* quoque *nitrosas* pluribus locis reperiri ait, et *in lacu Ascanio, et quibusdam circa Chalcida fontibus summas aquas dulces esse potarique, inferiores nitrosas.* Videndus quoque de Ascanio lacu Aristoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμ. tom. II pag. 720 *oper.* edit. Duval. et Antigonus Charistius παραδοξ. συναγ. cap. 172. Vide et de lacu Paesa quae habet Aristoteles *problem.* sect. XXIII n. 40 tom. IV p. 191 *oper.*, et de palude, quae Arsene vel Thonitis dicitur Straboni *geograph.* lib. XI pag 509, de qua inquit: ἔστι δὲ νιτρῖτις etc. Vide quoque graecum epigramma quod MENIππOΣ..... NYMΦAIΣ NITPΩΔΕΣΙ KAI AΠOΛΛΩNI ANEΘHKEN editum in *bronzi d' Ercolano* tom. II pag. 182, suoque loco a nobis repetendum. De Nili aqua quae, judice Theophrasto, etiam μίξιν habet νιτρώδη, vel, si mavis, λιτρώδη, vide Athen. *dipnos.* epit. lib. II c. 15 ibique Schweigh. et Eustath. ad Odyss. Δ p. 175. Idem Athenaeus *ib.* c. 25 videtur inter minus bonas aquas recensere

nitrosas. Notas interpretamur *Votum Solvit Animo Libens* vel ut ὁλογράμματον est apud Gruter. pag. XXXIII num. 1

VOTO · SVSCEPTO · ANIMO · LIBENS · DD

itemque p. CVIII n. 6, CIX n. 2 etc.

(73)

OMPHALE HERCVLES
CASSIA
MANIFILIA
PRISCILLA
FECIT

Marmorea tabula anaglypto opere, in cujus media area Hercules et Omphale exhibentur, nominibus adscriptis; aream vero cingunt duodecim Herculis laborum imagines minori forma expressae. In inferiori parte leguntur verba *Cassia Mani filia Priscilla fecit*. Epigraphe edita primum a Maffejo *osservaz. letter.* tom. VI pag. 311 qui repetit deinde *mus. veron.* pag. CCLXXXVIII n. 8 hoc modo:

OMPHALE · HERCVLI
CASSIA
M · ANT · FILIA
PRISCILLA
FECIT

Ait ibi in hortis Casaliis exstare monumentum. Corruptissimam edidit Muratorius pag. XCV n. 1, ubi Roma ad se misisse epigraphen Ficoronium narrat, lapidemque effossum in vinea nobilium Casalium. Repetit idem Maffejanam lectionem pag. MCMLXXXV n. 4. Ejusdem inscriptionis meminit et Winckelmannus in *descriptione gemmarum Stoschii* class. II n. 1699, et 1709, ubi lapidem ait Romae repertum anno 1729, fuisse jam in villa Casalium, sed pertinere tunc ad marchionem Lucatellium Romae. Sed in epigraphe perperam legit Winckelmannus MANITILLA. Quo autem tempore edidit Marinius Albanas inscriptiones, exstabat lapis in museo Borgiano, mox a Piranesio aere scalpendus. Vide ejus operis pag. 156, ubi emendata epigraphe exhibetur, nisi quod perperam in 3 linea legitur M · ANT · FILIA. Ex ea, quam aere expresserat Piranesius, ut videtur, effigie, dedit anaglyphi operis explicationem et ἔκτυπον Millinus (*galer. mythol.* tom. II p. 32 tab. CXVII sed lin. 3 bene legit MANI · FILIA). Hausit inde et repetit Creuzer *relig. de l'antiq.* versionis Guignautianae tab. 174, 185, 191. Dolendum est cl. Orellium hujus inscriptionis notitiam o solius Maffeji et Muratorii operibus nactum, non modo corruptam exhibuisse, sed nescio quem elegantis fucinae lusum in ea agnovisse, et mox de lapidis ipsius γνησιότητι addubitasse. Vide *latinar. inscript. collect.* n. 1558. Nec magis probandum cl. Raoul-Rochette judicium, qui ab ipsa Priscilla scalptum marmor arbitratur propter additum *fecit;* quod tamen nobis longe aliter intelligendum videtur, nempe non de artifice, sed de ea quae opus ponendum de suo curavit. Quare delendum videtur e veterum artificum catalogo Priscillae nostrae nomen, quo illum nuper augere studuit cl. ille vir in sua *epistola ad Schornium* pag. 87. Anaglyptas marmoris figuras iterum exhibere et explicare non est nostri hujus operis institutum; sed alibi praestabimus.

(74)

NVMINI DOMVS AVG
SACRVM HERCVLI SALVTARI
QVOD › FACTVM › EST › SODALICHORRGALBANCOHORII
A CORNELIVS › APHRODISIVS › QVINQVENN
AEDICVLAM › NOVAM › ASOLO › SODALIBVS › SVIS › PECVNIA
SVA › DONVM › DEDIT
DEDICAVIT › K › IVNIS › QVINTILLO › ET › PRISCO › COS

Romae reperta sub monte Aventino, atque edita in diariis literariis florentinis a. 1744 tom. III par. 4 pag. 237, unde habuit Donatus qui sic exhibet in *supplem. ad Murator.* pag. 170 n. 1:

Digitized by Google

NVMINI · DOMVS · AVG
SACRVM · HERCVLI · SALVTARI
QVOD · FACTVM · EST · SODALICI
HORR · GALBAN
A · CORNELIVS · APHRODISTVS
QVINQVENN · COHOR
AEDICVLAM · NOVAM · A · SOLO
SODALIBVS · SVIS · PECVNIA
SVA · DONVM · DEDIT
DEDICAVIT · K · IVNIS · QVINTILLO
ET · PRISCO · COS

E Donato habuit Orellius tom. II n. 4092, cui corrupta videtur et lin. 6 pro COHOR corrigendum putat CORPORAT. Comparanda epigraphe Gruteriana pag. LXXV num. 1 arao inscripta:

NVM · DOM · AVG
SACRVM
GENIO · CONSERVATO
RI · HORREORVM · GAL
BIANORVM
M · LORINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S · P · D · D

Et in parte aversa ejusdem arae:

NVM · DOM · AVG
SACRVM
FORTVNAE · CONSER
VATRICI · HORREOR
GALBIANORVM
M · LORINVS · FORTVNA
TVS · MAGISTER
S · P · D · D

Vide et duas inscriptiones apud Muratorium etiam *Numini domus Augustae* dicatas pag. CCCXIV num. 1, pag. CCCXVI num. 4, aliam apud Odericium (*dissertat.* p. 56), et apud Marinium (*arval.* p. 69), et quae de *collegiis numinis dominorum* (Maffei *mus. veron.* pag. 96 n. 5), et *cultorum Larum et imaginum domus Aug.* (Fabret. *col. Traj.* pag. 205 seq., Gruter. pag. CCXXXVIII n. 12 etc.) notat Marinius *arval.* p. 113; qui et hanc edit inscriptionem jam a Grutero relatam (pag. CIX n. 7), plane propter argumenti adfinitatem cum nostra hac comparandam:

PRO · SALVTE
DOMINORVM
GENIO · HORREORVM
SATVRNINVS · ET
SVCCESSVS
HORREARI
DONVM · DEDERVNT
CAESARE · VESPASIANO · VI
TITO · CAESARE · IMP · IIII
COS

Habes in alia inscriptione: NVMINI · DOMVS · AVGVSTAE · ET · SANC*ti Silvani* SALVTARIS · SACRVM (Fabrett. p. 688), et apud Reines. pag. 184: NVMINI · DOMVS · AVGVSTORVM · VICTORIAE · SACRVM · Vide quoque Fabrett. pag. 471. Porro quod ad nostrum hunc lapidem spectat, docemur ex eo Horreis Galbianis sodalitium suum adfuisse, a quo sacrum Numini domus Augustae Herculi salutari factum, cui et aediculam dono dedit quinquennalis Aphrodisius. Horrea Romae erant complura, in quibus non solum frumentum, sed pretiosissima quaeque a privatis custodiae caussa reponebantur. Vide Bulenger. *de imper. rom.* lib. VI cap. 5. In his fuere Galbiana horrea, quae a Victore in XIII urbis regione ponuntur, vocatque *Horrea Galbiana Fortunae*, quod nempe Fortuna ibi maxime coleretur uti e mox allato lapide didicimus. Vide *thes. graeviani* tom. III p. 109 venetae edit. In alia urbis descriptione a Pancirolo, Labbeo, aliisque edita, et recusa in thesauri Muratoriani tom. IV legitur in XIII regione: HORREA GALBAE *al.* HORREA GALBES ET ANICIANA (pag. MMCXXXI). In notitia dignitatum utriusque imperii sub *dispositione praefecti urbis* recensetur *curator horreorum Galbanorum* uti et *curatores operum maximorum, operum publicorum, statuarum.* Vide Pancirol. *ad d. notit.* pag. 118 et 123, qui haec horrea a Galbione Valentiniani duce dicta falso existimat, quem errorem lapis hic noster manifeste evincit quod Antonino Pio imperante est positum. Alii a Galba condita haec horrea docent, qui ea restitnisse videri poterit, quae Nerone imperante conflagrarunt (Petrus Diacon. et Socrat. lib. VII cap. 39 apud Bulenger. *l. c.*).

Digitized by Google

Quibus eximie favet lapis apud Muratorium, positus Galba ipso imperante (pag. CCCVII n. 2), in quo mentio fit HORREORVM (sic) · SER · GALBAE · IMP · AVGVSTI · Vide quoque Guasco *mus. capit. inscript.* tom. I pag. 155, et notata a Blanchinio *demonstr. histor. eccles.* tom. I part. 2 p. 69, 581 seq. In inscriptione Ostiensi edita a Nibbyo (*viaggio* etc. tom. II pag. 269) C. Pomponius Turpilianus dicitur PROC · AD · OLEVM · IN · GALBAE · OSTIAE · PORTVS · VTRIVSQVE. Exstat ea nunc in musco Chiaramontio, monente eodem Nibbyo (*itinerar. di Roma* tom. II p. 725), et comparanda plano est cum leg. 12 cod. theodosiani *de operibus publicis*, ubi memorantur *horrea fiscalia apud urbem Romam nec non etiam portus*, idest *Ostiensis*, ut Gothophredus ad eam legem interpretatur. Vide quoque titulos theodosiani et justinianei codicis *de conditis in publicis horreis*, ac theodosiani *de patronis horreorum portuensium*. Fuit et comes horreorum. Vide leg. unic. *cod. de pistoribus*. Sed in nostra hac inscriptione illud maxime notatu dignum, quod sodalicium horreorum Galbanorum (sic enim ibi legitur, non *Galbianorum*, ut alibi) COHORTIS II (*secundae*) memoretur. Sic enim legendum extrema tertia linea, marmor ipsum diligenter inspicienti facile patet, pro eo quod corrupte Donatus edidit, apud quem vox COHOR, omissa nota II, legitur perperam post vocem QVINQVENN. Et sane ut hic *cohortis secundae horrea Galbana* memorata, sic et *cohortis III horrearius* in alia inscriptione occurrit, Romae intra ipsius emporii, seu horreorum, fines reperta, quae navali ad Aventinum et prima urbis moenia conjuncta fuisse docet Fabrettus *de aquis et aquaeductibus* pag. 154 seqq. roman. edit. a. 1788. Sic in ea inscriptione legitur, *l. c.* pag. 156:

SILVANO
SACR
ANTEROS · CAES
HORREARIVS
CHORTIS · III
D · D · A · L

Quum itaque his exemplis doceamur *horrea* Romae in plures cohortes, vel, si mavis, *chortes* dividi, quid sibi velit haec divisio, de qua nec Fabrettus ipse nec alii, quos novimus, sunt locuti, paullo diligentius ut quaeramus oportet. Sane, ut rem libere dicamus, *chortes* has accipimus de area quadam, seu atrio ad rusticarum *chortium* similitudinem, quod ad ipsa horrea adstituebatur, unde ad ea patebat accessus, ubique consistere quoque possent qui negotiandi caussa ad horrea ventitabant. Quam sententiam tueri posse putamus ex ipsa vocis *chortis* apud latinos et significatione et derivatione, de qua sic Varro *de ling. lat.* lib. V n. 88: *cohors, quod, ut in villa ex pluribus tectis conjungitur ac fit unum, sic hic ex manipulis pluribus copulatur.* Itaque ut *cohortes* in villa pluribus tectis inter se conjungendis inserviebant, iis nempe omnibus quibus cohors ipsa adstituta erat, vel media et inclusa, quo fiebat ut e tectis illis et cohorte *unum*, ut Varro loquitur, *fieret*; sic urbanis his horreis *cohortes* quoque suas additas pronum est intelligere, quae ad horrea illa accessum praeberent, atque unum e pluribus illis facerent. Quum vero horreorum horum urbanorum ingentem esse debuisse numerum facile e copiis ipsis annonariis urbis Romae intelligi possit; nil sane mirum, horrea quaeque, saltem majora et nobiliora, in plures cohortes, pro eorum amplitudine, fuisse divisa. Et sane huic sententiae convenit vocis ipsius quoque etymon, quod ex Hypsicratis auctoritate apud Varronem *l. c.* derivandum a Graecorum χόρτος, αὐλή, *aula, atrium*, uti περιφραστικῶς eam vocem intelligendam esse non uno loco docet Eustathius (*ad Iliad.* pag. 883, 1369 rom. edit.). Fatemur quidem in veterum, qui exstant, libris *cortes* vel *cohortes* villarum tantum memorari. Vide Vitruv. *de archit.* lib. VI cap. 9, Varronem *de re rust.* lib. I cap. 13 (ubi tamen de exteriore villae cohorte ait *fit ministra fundo ex ea quod evehatur*, quem eumdem usum habere debebant et hae horreorum cohortes), et lib. II c. 2 ubi cohortes e

retibus factas memorat, Colum. lib. II cap. 14, lib. VII cap. 3, lib. VIII cap. 3, Pallad. lib. I cap. 22 etc. Et rure in *corte* vel *cohorte* veteres cenitasse, ut *in urbe in tabulino* docet Varro apud Nonium lib. II num. 112. Ampliorem tamen vocis usum et significationem fuisse, hisce inscriptionibus docemur, quae ad horrea quoque *cohortes* pertinuisse ostendunt. Adde quod in ipsis horreorum reliquiis, quarum ichnographiam aere scalptam exhibet Fabrettus *l. c.*, *cohortes* has facile adhuc agnoscere liceat vel atria horreis ipsis adstituta. Binas ille ostendit; tertiam vero his olim accessisse, cujus ne vestigia quidem servari contigit, docet in fabrettiana inscriptione cohortis hujus tertiae horrearii mentio. Fuere autem et extra Romam horrea, ut ex. c. Capuae, quod docemur e campana hac epigraphe (Rucca *Capua vetere* pag. 106):

AVR · ASCLEPIODO
RVS · L · AVR · CAES · LIB
TABLAR · IN · HORR
ALBANO · CAPVAE
H · S · E

Sunt et hodie in Lyciae urbis, quae Myra dicta est olim, ruinis, horreorum vestigia cum hac inscriptione: HORREA · IMP · CAESARIS · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · F · HADRIANI · AVG · COS · III · Vide Beaufort *Caramanie* in *nouvelles annales des voyages etc.* par Eyriès et Malte-brun tom. V pag. 20. *Horrea* in Africa saepe memorata in Antonini *itinerar.* pag. 51 (ubi vide Vesseling.), pag. 52 et 58, ubi *Horrea Caelia vicus*, item in Gallia *ad Horrea*. Fuere et Horrea ad Margum fluvium de quibus vide eumdem Vesselingium ad Antonini pag. 134. Neque tamen audiendus Pellerinius (*recueil* tom. III pag. 108) qui his usus exemplis et in numis ORRA inscriptis corruptum horreorum nomen suspicabatur. *Horrei* quoque Epiri urbis Livio memoratae (lib. XLV cap. 26) alia quoque esse videtur nominis derivatio. Exstat praeterea numus aereus a Ramus editus (*catal. numor. vet. reg. Daniae* tom. I pag. 25) et a Mionneto (*supplément* tom. I pag. 195) cum epigraphe AQVILEIA · FELIX in antica, et corona laurea in postica, cui inscribitur HORR · AQVIL. Vide quoque leg. 3 cod. theodosiani tit. *de conlatione donatarum vel relevatarum possessionum*. Sodalitium vero, de quo inscriptio nostra loquitur, sacerdotum remur fuisse numinibus domus augustae in horreis Galbanis cultis dicatorum, vel forte corpus ipsum seu collegium vel *mensorum*, vel *pistorum*, vel *caudicariorum*, qui horreis ipsis inserviebant. Vide Gothophredum ad leg. 9. theodosiani codicis tituli *de suariis*: quorum magister (non XIII regionis, ut ait Pancirolus) fuerit Lorinus ille de quo lapides Gruteriani. Et talis quoque fuit noster hic A. Cornelius Aphrodisius, qui QVINQVENNAlis tantum in lapide dicitur. Vtramque vocem conjungit lapis a Marinio editus *iscrizioni Albane* p. 140 MAG · QVINQ · CONLEG, et p. 232 QQ · MAGISTER · QVOQVAE (*sic*) · COLLEGI · FABRVM · TIGNVARIOR · OST · LVSTRI · XXXVI· Apud Grut. pag. CCLXI num. 4 MAGISTER · ET · FLAMEN · QVINQVENNALIS. Quinquennales collegiorum saepe alibi memorati. Vide Marin. *arval.* pag. 12, Gruter. pag. XCIX num. 9, pag. CCLII num. 6, Murat. pag. CCCLXIV num. 1, pag. MCI num. 4 etc. et quae dat Reinesius pag. 184 et Gothophredus ad leg. 7 theodosiani codicis *de pistoribus*, et 9 *de suariis*, e quibus et patronos corporum quinquennales fuisse docemur. Porro consulatus Quintilli et Prisci, quo dedicata fuit aedicula haec nostra, incidit in annum urbis 912, imperante adhuc Antonino Pio. Quintillus vero hic non Quintilius dicitur consul, etsi in lapide a Marinio edito (*iscriz. Albane* pag. 9) legerit is QVINTILIO pro QVINTILLO, et sic quoque in eodem marmore legit auctor libri inscripti *indicazione antiquaria per la villa Albani*, secundae editionis pag. 70. Eamdem quoque scripturam deprehendisse sibi visus est Marinius *l. c.* in mediolanensi epigraphe a Muratorio edita (pag. CCCXXXIII n. 3). Testatur tamen collega noster Borghesius QVINTILLO in hac potius quam QVINTILIO legi, et sic αὐτόπτης ipse legit in figulinis quoque a Boldettio editis (*osservaz. sopra i cimiteri* pag. 529).

Vide quoque Guasco *mss. capit.* tom. III pag. 150. Eadem et fastorum est lectio, firmaturque etiam e lapide a nobis inter honorarios edendo et ex alio M. Plautii Quintilli consulis anni urbis 930 apud eumdem Marinium (*l. c.* p. 12 et *indicazione antiquaria* etc. p. 71), qui consulis hujus anni 912 filius Borghesio videtur. Apud Murator. habes *Herculis salutiferi* mentionem pag. LXV num. 5, ut in nostro lapide *salutaris*. *Sacrum* in nostra hac epigraphe pro *sacrificium*, ut alibi saepe. Vide Marin. *arval.* pag. 162.

(75)

MARTEI
..CLAVDIVS · /
..ONSOL · DED

Integriorem sic edidit Iosephus Castalio (*var. lect. et opusc.* p. 62):

MARTEI
M · CLAVDIVS · M · F
CONSOL · DEDIT

Ait is lapidem perantiquum valde extra portam Capenam nuper effossum, atque apud Fulvium Vrsinum exstare, cum cujus nempe cetera literaria supellectile ad Farnesios pervenit, atque inde in regium museum est illatus. Edidit quoque Servius (*juvenil. fer.* p. 146) atque e Castalione Gruterus pag. LXI n. 7. Velserus epistola ad Camerarium idibus nov. anni 1594 ab Vrsino ejus inscriptionis haud ita pridem Romae repertae exemplum accepisse se narrat, *quam* (subdit) *observat* (nempe Vrsinus) *antiquissimam esse, antiquiorem nimirum illa C. Duilii, quae in Capitolio exstat: fuit enim M. Claudius consul anno urbis* 466, *pater anno* 422, *nepos anno* 531: *is spolia opima retulit. Monet apparere in lapide scriptum fuisse* DOVIT *pro* DEDIT, *antique nimirum* DONVM · DOVIT. *Inventa est extra portam Capenam ubi templum Martis* (Velseri *opera* pag. 843). M. Claudii coss. plures fuerunt, omnes Marcelli cognomento, quorum vetustior anno urbis 423 (Liv. lib. VIII c. 18), alter anno urbis 467 (Cassiodor. *chron.*), tertius qui propter captas Syracusas maxime celebratur, quinquies consul fuit; cujus filius M. Claudius Marcellus consul anno urbis conditae 558 (Liv. lib. XXXIII c. 24) de Insubribus et Comensibus in magistratu triumphavit (*ibid.* c. 37). Fuit et M. Claudius Marcellus cos. anno urbis 571 (Liv. lib. XXXIX c. 45), aliusque eodem nomine primum cos. anno urbis 588 (Liv. lib. XLV c. 44), iterum anno 599 (Gruter. p. CCXCIII), et tertio anno 602 (Grut. pag. CCXCIV). Cui ex his nostra haec tribuenda sit inscriptio, difficile est criterium. Lucem praebere videtur haud absimile fragmentum quod e Citadino profert Gruter. *l. c.* et sic legit:

M · CLAVDIVS · M · F
CONSOL
.... INAD CEPIT

Idem esse videtur quod corrupte sic profert Donius cl. V n. 31:
Fragmentum lapidis piperini in D. Petri ad vincula;

M · CLAVDIVS · M · F
CONSOL
M · N · ADCEPIT

Reinesius p. 444 marmor quoque e Citadino transcribit, quod ait Romae exstare in vinea ad S. Petrum in Vinculis infra thermas Trajanas, et subdit *a Fulvio Vrsino*: ultimam vero lineam sic legit:

.. HINNAD · CEPIT

et de Henna Siciliae urbe intelligit, quam cepisse Marcellum Syracusarum victorem revera tradit Livius (lib. XXXIV c. 39). Addit Reinesius: *Quod autem vocali ultimi vocabuli littera* D *appicta conspicitur, est e vetere Romanorum orthographia; suntque ejusdem scripturarum tam alibi quam in columna rostrata Duillii exempla.* Quod vero plane mireris, patet ex eadem Reinesii explicatione, fuisse et qui abruptam vocem INAD vel, ut Reinesius exhibet, ... HINNAD · de *Echinadibus* intelligeret! Videnda quoque Velseri de ea inscri-

Digitized by Google

ptione epistola item ad Camerarium data XVI Kal. jan. anni 1597, *oper.* pag. 851. Haec quum ita se habeant, videtur nobis et nostrum hoc marmor, et illud, quod jam supra dedimus n. 55, marmor vel potius marmoris ἀποσπασμάτιον, et tertium, quod a Citadinio et Douio editum illustrasse Reinesium supra memoravimus, omnia ad unum eumdemque M. Claudium Marcellum consulem esse referenda. Pluribus vero ὁμωνύμοις Marcellum illum Syracusarum victorem praeferimus, tum quod omnium is fuit celeberrimus, tum maxime quod ad ejus res gestas referri posse abrupta haec marmora potissimum videntur. In eo, quod supra dedimus num. 55 [a]), AEDEM · IOVIS memorari videmus, quae verba intelligenda videntur de *aede Iovis Feretrii*, ad quam Marcellus consul Virdomari Gallorum ducis a se necati opima spolia suspendit, post Romulum regem et A. Cornelium Cossum tertius. Vide Virgil. *Aeneid.* lib. VI v. 856 seqq. ibique Servium, Livii *epit.* libri XX, Florum lib. II cap. 4, Propertium lib. IV eleg. 10 v. 39 seqq., Silium *Punicor.* lib. I v. 133 et lib. III v. 587, Plutarchum *in Marcello* pag. 302, lateque disserentem Perizonium *animadv. histor.* cap. 7 et nuper Niebuhrium *histor. roman.* tom. II pag. 451 gallicae versionis Bruxell. editae. De eadem re testes habemus et numos Claudiae gentis, de quibus vide Eckhel. *doctr.* tom. V p. 170. Sane, quum de Cossi opimis spoliis loquitur Livius lib. IV cap. 20, iisdem utitur vocibus: *Spolia in* AEDE IOVIS *Feretrii prope Romuli spolia, quae prima opima appellata, sola ea tempestate erant, cum sollemni dedicatione dono fixit.* Quare suspicamur et fragmentum, de quo loquimur, ad marmor pertinere, in quo M. Claudii consulis victoria de Virdomaro, et suspensa ad AEDEM IOVIS Feretrii opima spolia memorabantur: quod si verum, marmor non sacris, sed elogiis potius, vel historicis est accensendum. Sequitur marmor quod hoc numero edimus, illudque de dedicatione arae fortasse, vel statuae, quam Marti dederit Marcellus idem propter relatas a se victorias, pronum est intelligere. Sed et fragmentum a Citadinio editum plane cum Reinesio de eodem Marcello Syracusanorum victore intelligimus, illudque sic supplendum arbitramur, servata Citadinii lectione, quae omnium videtur emendatissima:

M · CLAVDIVS · M · F
CONSOL
*achrad*INAD · CEPIT

vel si mavis vetustiore orthographia, suppresso spiritu,

*acrad*INAD · CEPIT

Itaque non de capta Henna, sed de capta veterum Syracusarum munitissima ea parte, quae *Achradina* dicebatur, gloriatur Marcellus: et merito: fuit enim ea nobilissima omnium victoria vel hac de caussa, quod Archimedes Achradinam defenderit. Vide haec fuse apud Livium lib. XXV c. 24 seqq., Plutarch. *in Marcello* pag. 308, Polyb. *excerpta* libri VIII p. 716 seqq. Gronov. Porro comparanda haec inscriptio cum tusculana hac nuper inventa, quae ad M. Fulvium Nobiliorem consulem anni urbis conditae 565 spectat.

M · FVLVIVS · M · F
SER · N · COS
AETOLIA · CEPIT

Vide Nibby *viaggio* tom. II p. 38 et ex eo Orellium *latin. inscr. collect.* tom. I num. 562, qui altera linea perperam legit SER · N · NEPOS, et vide praecipue splendidum opus *l'antico Tusculo del cav. Luigi Canina* pag. 116. Docemur ex eo Fulvii inscriptionem illam, seu elogium, in ipso Tusculanorum veterum foro esse positam. Quare et hanc Marcelli, et similis argumenti alias, etiam in romano foro positas arbitramur. Similia in ceteris historicis inscriptionibus passim obvia, EX. C. COMPLVRA · OPPIDA · DE · SAMNITIBVS·

a) Extitisse illud in regio museo plane haud dubium, quum exemplar ob oculos sit ex eo diligenter praeteritis annis expressum: anxie tamen perquisitum hucusque nos latuit.

CEPIT in Appii Claudii elogio (Orell. l. c. n. 539), TARENTVM · CEPIT in Fabii elogio (ib. n. 541), TAVRASIA · CISAVNA · SAMNIO · CEPIT in inscriptione Lucii Scipionis Barbati (ib. n. 550), CEPIT · CORSICA · ALERIAQVE · VRBE (ib. n. 552) etc. Item in calendariis, ex. c. in antiatino : TI · AVG · INLYRICO · VIC (Orelli tom. II pag. 397). Vide quae nuper de hujusmodi inscriptionibus notavit quoque cl. Leclerc in opere *des journeaux chez les Romains* pag. 20, 21. Inscriptio est apud Gruterum pag. MXXVI num. 5 cum lemmate *Romae ad S. Laurentium in Palisperna:*

.....NNADIVS · M · F
CONSOL
.... NNADIVS · CEPIT

Subditur : *Grutero Knibbius*, Videtur ipsissima haec esse inscriptio, quam e Citadino dedit Gruterus citata pag. LXI n. 7 et quam de capta Achradina interpretati sumus; foede tamen corrupta. Notatu denique dignum est in nostro hoc Claudii lapide, quod extremi verbi litterae DEDit aliarum apparent vestigiis superscriptae, quas DOVit legendas esse, ut supra retulimus, Velsero Vrsinus scripsit, quod vetuste pro *dedit* positum ait. Sed diligentius intuenti patet non DOVit in lapide primum sculptum fuisse, sed VOVit, pro quo altera manus DEDit reposuit. Et recte quidem: aede enim exstructa, non votum, quod jam solutum fuerat, sed ipsa aedis datio erat memoranda. De qua forma DEDIT in inscriptionibus plane sollemni pete quoque quae notat Perizonius *animadv. histor.* cap. 7 pag. 307 seq.

(76)

VENERE (*sic*) · GENITRICI
E T · G E N I O
L V D O R V M
A R A M
A L B E R T I N V S
C L A V D I · L I B
R H E D A R T V S (*sic*)

Ἀντιλόχος videtur; ubi vero reperta fuerit, incertum. Exstitit in museo cl. viri Fr. Danielii. De Venere *Genitrice* plures lapides, qui GENETRIX tamen saepe servant. Vide Gruter. pag. CCXXV num. 3, pag. MXII num. 3, Murator. pag. LVIII num. 4 etc. Sic quoque in Hadriani numis VENERI GENETRICI. Vide Eckhel. *doctr. num.* tom. VI p. 511, qui de Genitricis Veneris cultu opportune citat Macrob. *saturn.* lib. I c. 12. Aedes Veneris Genitricis Romae erat in foro Caesaris, quam hic bello civili votam auctori generis sui aedificaverat (Appian. *bell. civ.* lib. II cap. 102 et ex eo Morcel. *de stilo* tom. I p. 289), atque insignis de ea aede exstat memoria in lapide vejentano, quem a Fabretto editum p. 170 Morcellius idem restituit *loc. cit.* In ea aede Caesarem dictatorem sex dactyliothecas consecrasse auctor est Plinius *histor. natur.* lib. XXVIII cap. 1. In numis quoque Liviae Augustae in Baeticae colonia Romula cusis dicitur ea GENETRIX ORBIS, atque hanc ὀρθογραφίαν jure probat Dausquius *hac voce*, firmatque tum ceteris exemplis, tum auctoritate Probi grammatici. In nostra tamen epigraphe diserte habes GENITRICI: quae scribendi ratio et alibi occurrit in lapidibus. Vide Sponii *miscell.* p. 66. Peccavit vero lapidis nostri scalptor quum *Venere* pro *Veneri* dedit, vel potius VENEREI voluit, plane ut apud Gruter. pag. MXCIV num. 8 ANNIAE HELPIDE pro *Helpidi* etc. et in inscriptione prope Aemiliam reperta:

IOVE pro *Iovi*
OPTVMO
MAXSVMO
T · PETTIVS · T · F · T · N
D · D · L · M

Vide Dausquii *orthogr.* pag. 24. Sic et alibi AESCHINE pro *Aeschini* (Guasco *mus. capit.* tom. III pag. 18), VICTORE pro *victori* (*ibid.* pag. 20), ASCLEPIADE pro *Asclepiadi* (*indicazione antiq. della villa Albani* pag 103), MARTE pro *Marti* (Granara *antich. ed orig. di Roma* pag. 682), VBE pro *ubi* (Oderici *dissertaz. sopra un'antica iscrizione* pag. 56), IVNONE et MATRE pro *Iunoni* et *Matri* (Maffei *osservaz. letter.* tom. V pag. 187)

etc. De *Genio Ludorum* mentionem alibi fieri non meminimus. Mentio tamen est genii theatri in percelebri campano anaglypho literato, quod illustravit Mazochius *amphith. camp.* cap. VIII n. II. Venerem genetricem et Genium (*reipublicae* tamen non *ludorum*) conjunctim memorat et hoc fragmentum a Pratillio editum, *via Appia* lib. IV cap. 7 p. 481:

....
.... IO · COS
QVA · DIE · SPECVLAR
A · SACERD · VENERIS
GENETRIC · ET · GENI · REIP
DEDIC

Rhedarius vero (dedit scalptor RHEDARTVS) quum sit et qui rhedam ducit, et qui facit, dubitandum non videtur hic de rhedario agitatore circensium *ludorum* esse accipiendum, qui nempe *genio ludorum* lapidem posuerit. Sic *bigarii* et *quadrigarii* circensium agitatores dicti, de quibus vide Panvin. *de ludis circens.* lib. I c. 10 etc. *Lecticarius* quoque saepe in inscriptionibus qui lecticam fert, non qui facit. Vide Gruter. p. DLXXIX n. 7, DC n. 2, 3, 4, et inscriptionem apud Zachariam *istor. letter. d'Ital.* tom. IX p. 498. Putat Orellius (*latin. inscr.* tom. I p. 283) cultum Veneris Genetricis post Caesarum familiam extinctam vel casu obsolevisse, vel consulto esse in oblivionem adductum: qua in re falli virum doctum vel e numis solis probari facile potest.

(77)

VENERI › PROBAE › SANCTISS › SACR ›
TI › C L A V D I V S › M A R C I O N ,
.. ALVEMILLE › ANIMARVM › INLVSTRICENAREOPVS › SALVE
..VLCHRIoNERIS › PORTATRIX › IN › EXVPERABILE › DONVM
RERVM › HVMANARVM › DIVINARVMQVE › MAGISTRA
...ATRIX › SERVATRIX › AMATRIX › SACRIFICATRIX
SALVE › MILLE › ANIMARVM › INLVSTRICENAREOPVS › SALVE

Bajis reperta basis circa ann. 1754, atque a Martorellio regiae *thecae calamariae* adlaborante edita ibid. p. 372 (vide et pag. XCVII), e quo exscripsit Donatus *supplement. ad Murat.* p. 33 n. 9. Quomodo ex αἰνιγματώδει ea epigraphe se expediverit prior editor ex eo petes: hisque perlectis, quae attulit, tu judica lector, satius ne fuerit Davum se fateri, quod cives exterique ab eo consulti ingenue fecerunt. Inventus est vero et qui *foedatam*, ut ait, *praepostera interpretatione ac paraphrasi* a Martorellio inscriptionem novis curis explanandam sibi proposuerit, doctissimus Ignarra (*de phratriis* pag. 117 seq.); sed res videtur ei non multo prosperius quam Martorellio cessisse. Maxima haeret difficultas in iis, quae et primo versu, et extremo (qui hymni clausula Ignarrae dicitur) leguntur INLVSTRI CENARE OPVS, quod Martorellius, invito metro, et procaciore sensu intelligit *opus est nos coenare cum illustri mille animarum*: Ignarra vero audacter τὰ INLVSTRI CENARE OPVS SALVE intelligit *inlustri genere opus salve*, quod ei videtur hexametro convenire posse, absorpta E media in *genere*, ut bisyllabum fieret et mutescente S in OPVS. Haec qui probare possit, aut verisimilia putare, ut iis fruatur haud intercedimus. Nos vero rem primo in medio relinquendam omnino putabamus, verbaque illa incertae et derivationis et significationis haud multo absimilia suspicabamur catonianis illis HVAT HANAT HVAT ISTA PISTA SISTA, et similibus (vide Caton. *de re rust.* c. 160), quae mira et ignota videntur vocabula atque ὁμοιοτέλευτα in superstitiosis cantionibus adhibita fuisse, ut ex iis vulgi stupor non sine quadam aurium illecebra captaretur. [a]) *Carmina* suo nomine dicta

a) Et catonianum tamen ISTA PISTA SISTA interpretatus nuper est cl. Grotefendius *ling. umbr* part. IV p. 13.

Digitized by Google

sunt, de quibus erudite, ut solet, vide disserentem Marinium *arvali* p. 595 seqq. Suborta mox tamen est suspicio, sic primum et extremum hexametrum potius legi oportere, salvo et metro, et grammatica: SALVE · MILLE · ANIMARVM · INLVSTRIGENA · RE · OPVS · SALVE. *Inlustrigena* quidem in lexicis non reperitur sed habet analogiam τοῦ *unigena*, *terrigena*, aliarumque vocum. Lapidis vero scriptura non vetat INLVSTRIGENA RE potius legere pro monstroso illo INLVSTRI CENARE. Vltimum S in OPVS liquescere hoc loco, facile quoque concedi posse putamus. Sic tamen ne sensus quidem verborum difficultatibus caret, sed putamus posse sagaciores viam ingredi qua ad illum probabili saltem conjectura exsculpendum ferantur. Ceterum exstat bajanae hujus inscriptionis memoria et apud Zoegam *Abhandl.* p. 84, ubi quum sacrificantem Venerem et Artemidem in anaglypho quodam vetere descripsisset, nostrum hoc epigramma in notis transcribit, quod nempe (monente cl. Welckero) in schedas suas doctissimus ille vir cum hac adnotatione transtulerat: *marmor anno 1756 ex Bajis ad regium cimeliarchium herculanense advectum. Basis quadrata, duos pedes lata, characteribus sat informibus. Marcion libertus Tiberii Claudii Augusti, comes forte imperatoris, quo tempore Miseni degit. Inspexi ego die 26 maji 1789: inveni epigramma summa fide a Martorellio (de theca calamaria) expressum. Pro M in sexta linea, cujus nullum relictum est vestigium, malim ST, ut amico placuit*, BEATRIX. Supplementum *M*ATRIX in linea 6 Martorellio debetur, at Ignarrae, ut cetera omnia, displicuit, tum quod incerti esset significatus, tum quod in *amatrix* quod sequitur prima foret producenda, quod idem et de supplemento *ST*ATRIX est dicendum. *BE*ATRIX metro omnino repugnat. Ignarra legit *OR*ATRIX, vel potius *PAC*ATRIX, ac metrum procedere opinatur, correpta pro temporum licentia ultima vocis *servatrix* syllaba. Forma litterarum, quod et idem monet, diversa est in primis duabus lineis, quae aequatis spatiis exarantur; et in sequentibus, in quibus litterae oblongae sunt et confertae. Monendum denique de lapidis aetate, sequiorem aliquanto eam nobis videri, quam Zoega statuit. Primum enim occurrunt Tiberii Claudii plures etiam post Claudium imperatorem, cujus rei testem habemus, et qui mox sequitur, lapidem. Deinde ita ad Orphica accedit hymnus hic noster, ut eamdem proferre videatur aetatem, qua illorum maxime doctrina et usus percrebuere, quam aetatem seriorem aliquanto Claudio principe putamus. Quod si verum, poterit fortasse et ex orphicis doctrinis de animarum in corpora ingressu lucem accipere illud nostri marmoris *mille animarum inlustrigena re opus.* Vide Lobeckii *Aglaophamum* p. 755 seqq. et p. 932 seqq.

(78)

L · IVLIO · V . . . .
COS · III · NON ·. . . . . .
ECITIVM · TAVROBOLIVM
VENERIS · CAELESTAE · ET · PANTELIV . .
HERENNIA · FORTVNATA · INPERIO · DEA . .
PER · TI · CLAVDIVM · FELICEM · SACERD ·
ITERATA · EST

Quantivis pretii marmor, editum a Marinio *arval.* p. 358, qui illud Porticibus tunc temporis in aedificio *Fonderia* exstitisse testatur; sed quod dolendum, nulla plane viri summi adnotatione, vel commentario instructum. Repetit e Marinio Orellius (tom. 1 pag. 2336). Abruptum initio marmoris est consulis nomen, qui et fastis ignotus esse videtur. Inscriptionis tamen aetatem ad Septimii Severi tempora pertinere probare videtur alia musei regii inscriptio anni, ni falli-

mur, urbis conditae 962, post Christ. 209, in qua ejusdem Ti. Claudii Felicis sacerdotis mentio recurrit. Ea est hujusmodi:

III · NON · DEC
L · LOLLIANO · AVITO · COS
THALAME · HOSIDIAE · AFRAE
CVM · SVIS · CONDITE
PER · TI · CL · FELICEM · SACERDO
TEM

Vide quae ad eam suo loco notabimus. Porro ECITIVM vel EGITIVM in nostra inscriptione quid sit, nemo facile dixerit. An de αἰγὸς capreae sacrificio cogitandum? Vide Reines. pag. 212, qui tamen id sacrificium AEGOBOLIVM appellari putat, et eo pacto legendum contendit pro AEMOBOLIVM in lapide teatino quem edit, improbante tamen Holstenio, Bozio, Hagenbuchio. Vide Zornii *biblioth. antiq. exeget.* tom. II p. 1080 seqq. et Orell. *inscript. latin.* n. 2334. Zoega quoque meminit de *aegobolio* e Reinesii, ut videtur, conjectura (*bassiril.* tom. I pag. 52). Monente eodem Orellio, quum in nostro lapide post vocem *taurobolium* aliqua exciderint, admodum dubium est num jungendum sit *taurobolium Veneris caelestis*, quod sane singulare esset. Ceterum de *caelesti Venere* et *Dea*, quae et *invicta* et *augusta* in lapidibus dicitur, omnia pervulgata. Vide quae dat Vossius *theol. gentil.* lib. II cap. 24, Valesius *ad Ammian. Marcell.* lib. XXII c. 13, *mus. Cort.* pag. 32, 33, Gretserus *oper.* tom. XVII p. 85 seqq., anonymus in *effemeridi litterarie di Roma* tom. IV p. 393 seqq. aliique; ejusque deae maxime apud Afros cultae invaluisse Romae religionem Septimio Severo afro imperante, cujus fere tempora marmor hoc nostrum attingit, probant vel ejus filiique sui Caracallae numi. Vide Eckhel. *doctr.* tom. VII p. 183, et quae nuper post Müntermn *religion der Carthager* pag. 74 seq. de dea hac Carthaginiensium caelesti (quae et *Tanaitis*) ejusque templo et monumentis scribit Gesenius *scripturae linguaeque phoeniciae monumenta* p. 114 seqq. et 168 seqq., et cl. Raoul Rochette in *deuxieme mémoire sur les antiquités chrétiennes des catacombes* in *mémoires de l'acad. des inscr. et bell. lett. de l'instit.* tom. XIII pag. 234. E cl. Furlanetti conjectura sic legenda et supplenda est nostra haec epigraphe: *Egitium taurobolium (* in honor. M. D. M. I. et *) Veneris caelestis* (Caelestae) *et pantelium (* fecit *) Herennia Fortunata per Ti. Claudium Sacerdotem iterata est.* Vide novissimi lexici Forcelliniani editionem s. v. *pantelium*, ubi subdit: *Hic fortasse memoratur aegyptium taurobolium, quod a persico diversum fuisse videtur; ideoque cum magna Deum Matre Idaea Veneris Caelestis mentio fit, quae eadem ac Nephthys fuit, Isidis soror, de qua v. Jablonsk. panth. aegypt. l. 5, c. 3 § 3-5, quaeque τελευταία, h. e. terminalis est cognominata, quia termino terrae fertilis in Aegypto praeerat. Vide et v. taurobolium.* Haec omnia vero quum plane incerta sint ac dubia, magis illud verisimile videtur ac probabile, quod vir doctus affert de vocis *pantelium* significatione, quam purum putum Graecorum esse παντέλειον recte judicat, vocemque vocat sacrorum Mithriacorum, quae consummationem significare videtur, idest eorum complementum. Et sane habes in ceteris quoque taurobolicis monumentis mentionem diei quo INCHOATVM et CONSVMMATVM est taurobolium. Vide Gruter. tom. I pag. XXX n. 3, Orell. *latin. inscript. collect.* n. 2325. Propius ad nostrae inscriptionis sensum accedit quod legimus in Hebonis graeca inscriptione regii musei ΟΛΟΚΛΗΡΩΣ ΤΕ ΚΑΙ ΤΕΛΕΙΩΣ ΑΠΕΡΤΙΣΜΕΝΟΣ (sic) ubi vide quae notabimus. Ceterum de παντελείοις Θεσμοφορίων diserta est apud Athenaeum (*dipnos.* lib. XIV pag. 657) mentio, quae *perfecta thesmophoria* interpretatus est Dalechampius, *praecipuum thesmophoriorum diem* ex conjectura Schweighäuserus. Post vocem PANTELIVM supplet Furlanettus *fecit*, quod tamen vix admitti posse videtur propter sequens *iterata est*, unde colligimus omnia illa sacra, quae in marmore memorantur, secundo a Fortunata peracta, exemplo in taurobolicis lapidibus haud plane singulari, e quibus docemur taurobolia post viginti annos iterum fieri solita. Vide Murator. pag. CXXX n. 6, Gruter. p. XXVIII n. 5, et quae dat Sal-

Digitized by Google

masius ad Lampridii *Helagabal.* c. 7. Omittit porro Furlanettus voces IMPERIO DEA... quas et Marinius perperam sic exhibuit IMPERIO PEA. Legimus fidenter IMPERIO · DEA*e*, vel DEA*rum*, ut supra (num. 51) IMPERIO · VENERIS · FISICAE, et alibi in taurobolicis marmoribus IVSSV · IPSIVS (Orell. n. 2327), vel IVSSV · MATRIS · DEVM (ib. n. 2328). Vide Marinii *arval.* tom. I p. 25 seq. Comparanda et inscriptio quam ex Olericio (pag. 158) habet idem Orellius n. 2326:

AEMILIA
SERAPIAS
TAVROBOLIVM · FECIT
PETRAM · TAVROBOLIATAM · POSVIT
PER · SACERDOTE
VALERIO · PANCARPO
IDIB · MAIS
ANVLLINO · II
ET · FRONTONE · COS

Principem sacerdotum deae Caelestis memorat inscriptio a Marinio edita *marmi Albani* p. 26. *Caelestae*, quod pro *caelestis* legitur in nostra epigraphe, in memoriam revocat haud absimile σφάλμα quod in vetustis Tertulliani editionibus post Turnebum et Pithaeum corrigendum duxit Lacerda; in quibus (*apolog.* cap. 24) *Caelestus* masculino genere pro feminino nominativo *caelestis* legebatur. Vide Lacerda ad eum locum. *Caelestum* quoque *Salinensem Carthaginis* legi in Vlpiani *regularum* titulo 22 § 6 monet Vossius l. superius laudato *de theol. gentil.* cap. 24. Sed in editione Vlpiani regularum, quam curavit Cannegieterus (1774 Lugd. Batav. 4), legimus *caelestem*, atque in notis citat Rittershus. ad Salvian. (*de gubern. Dei* lib. VIII p. 164), qui *Caelestem* et *Caelestum* dici notat, dei quippe et deae nomen. Quod si receptum fuit *Caelestus*, ab ea analogia non aberravit lapidis sculptor quum dedit *Caelestae* pro *Caelestis*. Ceterum et CONIVGAE pro *conjugi* occurrit in inscriptione nuper edita in *mémoires des antiqu. de France* tom. XII pag. 36, et *merentae* pro *merentis* apud Gruter. pag. DCCLIII n. 7. Singularem formam litterae H in Herenniae nomine quae ad nostrum h accedere videtur, pluribus exemplis illustravit Marinius *l. c.*

(79)

IMP · CAESAR · DIVI · F · AVGVSTVS
PONTIFEX · MAXIMVS
IMP · XIII · COS · XI · TRIB · POTEST · XV
EX · STIPE · QVAM · POPVLVS · ROMANVS
ANNO · NOVO · APSENTI · CONTVLIT
NERONE · CLAVDIO · DRVSO Cos
T · QVINCTIO · CRISPINO
VOLCANO

Edita a Boissardo tom. III tab. 70 cum hoc lemmate *ad Tiberim*, et perperam lin. 5 legitur ABSENTI. Emendatior edita est a Fulvio Vrsino *famil. romanar.* p. 43 romanae editionis, qui ait cum alia adfinis argumenti, quam infra dabimus, LARIBVS PVBLICIS posita in Farnesianas Alexandri cardinalis aedes translatam et superioribus annis in foro Romano repertam. Exstat et apud Gruterum p. LXI num. 1, qui ait effossam in foro romano ad aedem Saturni, lacumque Curtii, anno 1548, notatque a Smetio visam, nec procul inde juxta templum Divi Hadriani ad arcum Septimii Severi repertum fuisse anno 1554 fragmentum hoc adfinis quoque argumenti:

....
.... COS · XI ....
EX · STIPE · QVAM · PO..
CALENDIS · IANVAR...
C · MARIO · CENSORINO · C · ASINIO · GALLO · COS

Ad haec marmora notat Gruterus Suetonii locum in *August.* cap. 57: *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant: item kalendis januariis strenam in Capitolio etiam absenti: ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium, et Iovem Tragoedum, aliaque.* Vide ad hunc locum Torrentii et Casauboni praecipue adnotationes. Ibidem cap. 91: *ex nocturno etiam visu stipem quotannis die certo emendicabat a populo (* Augustus *), cavam manum asses porrigentibus praebens.* Dio lib. LIV cap. 35: Ἐπειδή τι ἀργύριον αὖθις ἐς εἰκόνας ἑαυτοῦ καὶ ἐκείνη (ἡ βουλὴ) καὶ ὁ δῆμος συνεσήνεγκαν, ἑαυτοῦ μὲν οὐδεμίαν, Ὑγιείας δὲ δημοσίας καὶ προσέτι καὶ Ὁμονοίας, Εἰρήνης τε ἔστησεν, ἀεί τε γὰρ, ὡς εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πάσῃ προφάσει τοῦτ' ἐποίουν· καὶ τέλος καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ οὐκέτι ἰδίᾳ πού κατέβαλλον αὐτὸ, ἀλλ' αὐτῷ ἐκείνῳ προσιόντες οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δὲ ἔλαττον ἐδίδοσαν. καὶ ὃς προσθεὶς αὖ ἕτερον τοσοῦτον ἢ καὶ πλέον, ἀντεδίδου, οὐχ ὅπως τοῖς βουλευταῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις· ἤδη δὲ καὶ ἐκεῖνο ἤκουσα, ὅτι καὶ ἄλλο τι ἀργύριον, ἐκ λογίου τινὸς ἢ καὶ ὀνείρατος, παρὰ τῶν προστυχόντων οἱ, ὡς καὶ προσαιτῶν ἐν μιᾷ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ ἐλάμβανε. *Quumque iterum pecuniam ad imagines ei faciendas senatus populusque conferret, nullam quidem sibi, Salutis vero publicae, Concordiaeque, et Pacis posuit. Semper autem fere, utcumque se ejus occasio obtulerat, id faciebant: ac tandem ipsis Kalendis januarii eam non privatim jam contulerunt, sed ad ipsum Augustum accedentes, plus minusve singuli ei porrexerunt: atque ipse tantumdem, aut plus etiam addens, ipsis reddidit, non senatoribus modo, sed aliis quoque. Audivi etiam eum ex oraculo quodam aut somnio, quotannis certa die argenti nonnihil ab iis, qui forte in eum incidissent, quasi emendicantem accepisse etc.* Vide ad hunc locum notas Reimari qui ait: *non probatum hunc morem strenae accipiendae Tiberio docet Dio p. 607 D, sed reductus a Cajo, Sueton. c. 42, et per Claudium iterum sublatus, infra p. 668 E.* Vide quoque Aegypt. *ad S. C. de Bacchan.* p. 79, 80, Vandalii *dissertat.* pag. 792, Maffei *gemme antiche* tom. I pag. 127, Sponii *recherch. curieus. d'antiqu.* pag. 492, etc. Incidit vero Neronis Claudii Drusi et T. Quinctii Crispini consulatus in annum urbis 745, ante Ch. 9. Positus autem est lapis ante diem XVIII kal. sept. quo die Nero Claudius Drusus in consulatu est mortuus, ut patet ex antiatino kalendario, quod ad eum diem sic habet INFERIAE DR.... nempe *Drusi.* Vide Foggin. in *fragm. Verrii Flacci* p. 130. Positus est item post diem XXVII junii ejusdem anni: ea enim die Augustus tribuniciam potestatem XV inchoavit, ut probatum dedit Eckhel. *doct.* tom. VIII p. 404, 5. Ejus vero anni initio Roma absentem revera fuisse Augustum atque in Gallia adhuc moratum, quo se anno superiore contulerat, recte e nostro hoc marmore et Dione lib. LIV *in fin.* colligit Norisius *cenot. pisan.* p. m. 302. Mirum sane credi potuisse ab aliquibus vocem VOLCANO, qua clauditur haec inscriptio, ab ea abscindendam, et praeponendam esse illi adfinis argumenti inscriptioni, quae infra editur, LARIBVS PVBLICIS posita, cujusque ita initium constituunt: VOLCANO · LARIBVS · PVBLICIS · SACRVM etc. Huic errori ansam dedit patiniana Fulvii Vrsini familiarum romanarum editio, in cujus p. 55 sic perperam legitur, quum tamen vera lectio occurrat in romana ejus operis editione. Eckhelius ipse haec non animadvertit, lectionemque sequitur patinianam. Vide *doctr. num.* tom. VI p. 157, et confer quoque quae habet Orellius *latin. inscr. coll.* n. 1568. Ceterum recte e Suetonii loco superius citato (*in Aug.* c. 57), et ex ipsa lapidis nostri forma, quae magnam basim plane refert, collegisse videtur Stanislaus Santinellius, Vulcani statuam ei ab Augusto impositam olim fuisse. Vide ejus dissertationem *delle mance* in *giornale de' letterati d' Italia* tom. XXXV p. 133. *Stipis* et operum, quae ex ea fiebant, mentio et alibi in marmoribus occurrit. Vide Orellii n. 368, 1838, 2527, et adde Gruter. pag. LXIX num. II, pag. MLXVI n. 6, et pag. MLXXIV n. 10, item lapidem apud Marinium *arval.* pag. 524, in quo signi quoque fit mentio aliorumque operum quae

Digitized by Google

IIII viri STIPE · QVAE · EX · LACV · *Velino* EXEMPTA. ERAT... *fieri* CVRARVNT. Vide quoque viri summi animadversiones p. 824, et quae dat in epistola ad Viscontium inserta tomo IV *musei pii clementini* post tabulae XLV explicationem, et notata a Lanzio *saggio di lingua etrusca* tom. II pag. 431 seq. secund. edit., et a nobis supra ad num. 58. Confer quoque *memoires des antiquaires de France* tom. IV pag. 257 seqq. In inscriptione Autessioduri in Gallia reperta (*mémoir. des antiqu. de France* tom. XI pag. 68) legitur:

DEO · N · RC....
EX · STIPIBV...
V .. VIVI....

De stipe apud Romanos Apollini collata e praetoris edicto anno urbis 540, vide Livium lib. XXV cap. 12: ita ut de voluntaria stipe intelligendus videatur Plinius *histor. nat.* lib. XXXIII seg. 48, monente Harduino, quum ait populum romanum stipem spargere coepisse Sp. Postumio, Q. Marcio coss. i. e. anno urbis 566. Lepidissima est apud Athenaeum *dipnos.* lib. VIII pag. 359 seq. narratio de stipe (ἀγυρμῷ) quae apud Rhodios cornici et hirundini colligebatur. Eadem tradit Eustathius *ad Odyss.* Φ pag. 767. Ad lin. 5 nostrae inscriptionis compara quae leguntur in lapide ab eodem Marinio edito *iscriz. Albane* pag. 157:

ET·*iud*ICIO·APSENTIS·CAESARIS·AVGVSTI

De ὀρθογραφίᾳ APSENS vide praeter ceteros quae notat Servius *juvenil. feriar.* p. 62, et quae nuper dedit Cardinalis *dipl. mil.* p. 95.

(80)

MACILIVS · A · F · VOT · D · D · L · D · D ·
PRISCVS EGRILIVS PLARIANVS
PRACF · AERAR IMILIPARPON ·
VOLCAN ET AEDIVM
SACRAR · P · C · CLVPEVMAR · CVM
IMAGINE AVREA

E museo Vaticano edidit hanc inscriptionem Marinius, aitque ex Ostiae ruinis Romam translatam (*arval.* p. 408), et ex eo Orell. *inscr. latin.* n. 2154.

M · ACILIVS · A · F · VOT · PRISCVS · EGRILIVS · PLARIANVS
PRAEF · AERARI · MILITAR · PONTIF · VOLCANI · ET · AEDIVM
SACRAR · P · C · CLVPEVM · ARGENT · CVM · IMAGINE · AVREA · D · D · L · D · D · D ·

Ex ea expressum est marmor, quod est in regio museo nostro, imperiti ac recentioris artificis opus erroribus scatens. De M. Acilio Prisco Egrilio Plariano, notante eodem Marinio, mentio est in marmore sponiano (*misc.* pag. 88, Murator. pag. XXXIX n. 5, sed minus emendate), ac pater a Marinio ejus Q. Egrilii Plariani (non P. L. Ariani) is creditur, de quo in fragmento Muratoris no p. MLXXXXIX n. 4. De *praetore* et *pontifice Vulcani et aedium sacrarum*, qui et in aliis inscriptionibus memoratur, vide Marin. *incriz. Alban.* p. 58, et *arval.* l. c. qui Ostiae tantum obtinuisse hujusmodi seu munus seu sacerdotium arbitratur, et vide quoque Fea *viaggio ad Ostia* p. 15, et 59. *Praefectus aerarii militaris* saepe et in aliis inscriptionibus reperitur. Vide Gruteri indices, Marin. *iscr. Alb.* p. 50 etc. Notum est ab Augusto militare aerarium institutum *cum vectigalibus novis* (Sueton. *August.* c. 49), ac sorte delectos ex iis qui quaestores aut tribuni plebis fuissent, ejus aerarii praefectos (Dion. *lib.* LV c. 24). Fuit in his P. Vitellius (Tacit. *annal.* lib. V c. 8). Docet quoque Dio junioris Agrippae a se abdicati facultates Augustum aerario huic militari (στρατιωτικῷ ταμιείῳ) dedisse (ib. c.

52). Vide quoque de aerario militari Taciti *annalium* lib. I c. 78, ibique notas. De clipeis porro votivis atque imaginibus vel pictis, vel exstante opere sculptis, vide plura apud academicos herculanenses *lucern.* p. 20 seqq., Biagi *de decret. Athen.* c. 26, Eckh. *doctr. num.* tom. VI p. 121, Marin. *arval.* p. 662, Viscontium praefat. *ad mus. pii clement.* tom. VI, Winckelmann *gemme stosch.* tom. VIII p. 434 editionis italicae Pratensis, Bracci *dissertazione sopra un clipeo antico spettante alla famiglia Ardaburia* pag. 65 seqq., Salmas. *exercit. Plinian.* pag. 610, ceteros. Dicuntur εἴκονες ἔνοπλοι in graecis marmoribus. Vide Koehleri *remarques sur un ouvrage intitulé antiquités du Bosphore* p. 123 seq. Cumanum marmor a Caylus editum (*réc. d' antiq.* tom. II tab. 57), propius ad nostrum accedens memorat imaginem ΓΡΑΠΤΗΝ ΤΕ ΕΝ ΟΠΛΩ ΕΝΧΡΥΣΩ; et in alio edito a Walpole (*travels* p. 582) mentio fit de ΕΙΚΟΝΙ ΓΡΑΠΤΗΙ ΕΠΙΧΡΥΣΙ(ΩΙ). Vide quae de his marmoribus notat cl. Osann *sylloge inscr.* p. 244 seq., et compara Raoul-Rochette in *journal des savans* 1833 pag. 363 seqq., et *peintures antiques inédites* p. 234 et seqq., et quos laudat, item Letronnium *lettres d'un antiqu.* pag. 448 seq., Lebas *inscriptions de Morée* cah. 5 p. 89, Boeckhium *corp. inscr. gr.* tom. II pag. 664. In inscriptione Aphrodisiadis Cariae apud Boeck. tom. II p. 513 legimus ΕΙΚΩΝΩΝ (εἰκόνων) ΤΕ ΕΝΟΠΛΟΙΣ ΕΠΙΧΡΥΣΟΙΣ ΑΝΑΘΕΣΕΣΙΝ. In graeco textu ancyrani monumenti nuper ab Hamiltonio reperto legitur ὅπλόντες χρυσοῦν, ubi frustra θυρεὸν voluit olim Eggerus (*latin. sem. reliq.* p. 388). Clipeum argenteum memorant et aliae inscriptiones. Vide Gruter. pag. CCCLXXIV n. 1. *Clupea inaurata VI* memorantur in inscriptione gabina apud Fabrett. p. 743 et Viscontium *monum. gabini* pag. 11 edit. mediolanensis. VOT*uriam* tribum in nostro hoc marmore memoratam raro in marmoribus occurrere docuit Marinius, plerisque bergomatibus, atque a Voturia gente dictam suspicatur (*arv.* p. 483). De ea porro tribu insigne exstare ait monumentum in bilingui inscriptione ephesina apud Chandler. (*inscr.* p. II n. XXXV: vide *arval.* p. 826). Quae quum ita sint, haud facile quis Orellio assentiri possit dubitanti an VOT*uria* tribus sit a *Voltinia* distinguenda (*inscr. latin.* tom. II p. 18). Vide quoque de hac re observata a cl. Grotefendio in Zimmermanni *Zeitschrift für die Alterthumswissensch.* pag. 916 anni 1836.

(81)

VOLCANO · QVIETO · AVGVSTO
ET · STATAE · MATRI · AVGVSTAE
SACRVM
P · PINARIVS · THIASVS · ET·
M · RABVTIVS · BIRVLLVS
MAG · VICI · ARMILVSTRI ANNI V̄

Edita apud Gudium pag. XL n. 3 cum hoc lemmate: *Romae in hortis Caroli della Valle.* Is lin. 5 legit RABVTIVS · BIRVTIVS et lin. 6. VIC et ANN. IV. Illatam deinde in museum kirckerianum edidit Ficoronius *tali lusorii* pag. 101 et ex eo Gregorius Redi (*sopra gli Dei aderenti* in *saggi di Cortona* tom. II pag. 113) qui in fine 4 lin. omittit ET, et lin. 6 legit MAG et ANNI · V: item Bonanni *mus. kircker.* p. 64. Bis edidit Muratorius, primum pag. LIX num. 8, aitque Romae exstare in museo kirckeriano, legitque lin. 5 BIRVLIVS, lin. 6 VIC et ANNO V, iterum vero p. MXCVII n. 4, ibique exhibet lin. 5 RABVLIVS · BIRVLIVS, lin. 6 VIC et, uti in marmore est, ANNI V. Vide quoque Orell. *inscript. latin.* n. 1385, qui perperam ratus Gudium e Ligorio exscripsisse pronunciat: *haec omnino est spuria.* *Quieti Augusti* cognomenta Vulcano titulus hic unus addit, eodem monente Muratorio. Statae matris vero cultum memorat Festus, e cujus verbis, quamquam certo corruptis, et ratio elici posse videtur, cur cum Vulcano in hoc lapide conjungatur, et cur is a magistris armilustri vici sit positus. Sic enim ait: *Statae matris simulacrum in foro colebatur, postquam id collustravit (legendum omnino Coelius, vel Cotta stravit), ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore; magna pars populi in suos quisque vi-*

Digitized by Google

cos retulerunt ejus Deae cultum. Ceteras Statae matris inscriptiones, et a magistris vici cujusdam positas, memoratas vide a Marin. *arval.* p. 614 seq., qui Statam matrem Vestam esse docet *ibid.* p. 579. Confer et *memorie enciclopediche romane* tom. II pag. 57 et *memorie romane di antichità* tom. III p. 44 seq. STATAE FORTVNAE positos lapides a Gudio p. L n. 1, 2 e Ligorio memoratos νοθείας jure arguit Marinius p. 615. Sed et Iosephus Castalio STATAE FORTVNAE nomen legisse sibi visus est in lapide romano in quo SIEIAE. FORTVNAE legit Gruterus pag. LXXIX n. 5 aliique. Vide Castalionis *opuscula* Romae edita anno 1594 pag. 11. De armilustro Romae vico confer notata a Muratorio *l. c.* Fuisse in XIII urbis regione patet e marmore Gruteriano p. CCL.

(82)

SILVANOSANCTO
L · VALLIVSSOLON
PORTICVM
EX VOTO · FECIT
DEDICAVIT · K · APRILIB
PISONE · ET · BOLANO COS

Post Boissardum aliosque emendatius edita in sylloge gruteriana p. LXVI n. 20, ubi *in vinea cardin. Carpen. in Quirinali tabella marmorea* dicitur asservata. Porticum Silvano a Vallio dedicari nil mirum: sic et eidem Silvano PORTIC · ET · EXEDR · ET · SIGN · AEN dedicavit C. Austurnius medicus ludi gallici apud Gruter. pag. LXV n. 3; confer Lipsii *saturnal.* lib. I cap. 14. Et ceterorum divorum porticus alibi memorantur, ut ex. c. Iunonis Feroniae in lapide apud Vrsatum *istor. padov.* pag. 38, et Carli *delle antichità di Capodistria* tomo VIII opusculorum Calogeranae collectionis p. 233, quem vide late disserentem de porticuum dedicatione, et inscriptionibus, atque scriptoribus qui de ea meminerunt. Idem vero lapis et Larini exstare dicitur. Vide Tria *memorie storiche di Larino* p. 73 seq. et Avellinii *opusculor.* tom. III pag. 75. Sic et porticus templi Apollinis Palatini (vide Suet. *Aug.* cap. 29, et Rhoer *otium davent.* cap. 12) et porticus Spei (Orell. *inscript.* n. 2195). Conferenda porro cum nostra hac epigraphe puteolana inscriptio ejusdem fere et aetatis et argumenti (anni urbis 861), quam e Mazzella et Capacio sic exscribit Gruterus (pag. XXIII n. 9):

IOVI · VICTORI
TREBONIVS · GALLVS · COS
PORTICVM
EX · VOTO · FECIT
DEDICAVIT · X · KAL · MAIAS
APPIO · ANNIO · ATI...COS

In alia inscriptione puteolana apud Capacium *histor. neap.*. lib. II cap. 24 legitur: IOVI · O · M · SACRVM · CVM · PORTICIBVS · A · SOLO · SVA · PEC · P · Et in gallica inscriptione apud Millinum *voyage dans le midi etc.* tom. I pag. 207 Ti. Claudius Professus DEO · MORITASGO · PORTICVM · TESTAMENTO · PONI · IVSSIT · De templo Silvani in Quirinali posito, ad quod nostram hanc inscriptionem quoque referunt, confer Nardinii *Roma antica* lib. IV cap. 4, Venuti *Roma antica* part. I cap. 6, Orelli *latin. inscr.* n. 4956. Porticum vero ut Silvano, sic et *Silvanabus* et *Quadribis* dedicatam, memorat inscriptio in Carnunti ruinis reperta et edita a Sponio *miscell.* pag. 84 et in *ignotorum Deorum aris* tom. VII *thesauri gronoviani*. Sic quoque inscriptio Vestae et Matribus posita, de qua vide Murator. pag. XXXII n. 3 (aliter legit idem pag. CXLVII n. 6), et C. F. A. epistolam ad Dorvillium editam in *miscell. observat. novis* a. 1742 tom. IV p. 208. Comparanda et nuper edita inscriptio gallicae deae *Acionnae* dicata:

AVG · ACIONNAE
SACRVM
CAPILLVS · ILLIO
MARI · F · PORTICI
CVM · SVIS · ORNA
MENTIS · S · L · M

Vide *mémoires des antiquaires de France* tom. XI pag. 291. In inscriptione Atinensi apud Dorvillium *Sicul.* pag. 603 dicitur A. Antonius Horus AEDEM · MATRI · MAGNAE · ET · PORTICVM · QVI · EST · ANTE · AEDEM · ET · CELLAM · SACERD · ab solo sua pecunia fecisse, ejusque dedicatione decurionibus et augustalibus et populo crustum et mulsum dedisse. Pisonis et Bo-

lani consulatus e fastis sat notus incidit in annum urbis 864, post Christum III. Male autem his suffecti dicuntur in fastis ex kal. mart. Servianus et Iustus: lapis enim noster sat probare videtur adhuc aprilibus calendis Pisonem et Bolanum consulatum gessisse. Recte igitur ex hoc nostro lapide, ceterisque argumentis, Lydiat Servianum et Iustum suffectos consules ad sequentem annum refert, *ser. summor. magistr.* p. 83, 84. ΒΩΛΑΝΟΥ mentio et in numis smyrnensibus Vespasiani, Titique ac Domitiani adhuc Caesarum, de quibus vide Eckhelii *doctrin.* tom. II pag. 357. In ticinensibus lapidibus plurium e Vettia gente mentionem fieri, item BOLANAE · SECVNDAE et M. Bolani M. f. Aniensis tribus Marcelli docet Aldinius *sulle antiche lapidi ticinensi* p. 33, 34, qui ticinenses hos titulos ad Bolanum consulem et Britanniae praefectum vel legatum a. post ch. 69 spectare judicat, de quo Bolano Tacitus *annal.* lib. XV cap. 3, *histor.* lib. II cap. 65 et 97, et Statius *silvar.* lib. V carm. 2 v. 37 seqq. Vide quoque *mem. des antiq.* de *France* tom. IV p. 237, et Lupi *dissertat.* tom. I p. 66, Kellerm. *vigil. later.* p. 27, *atti dell'accad. di archeol.* tom. II pag. 58, Borghesium in *bullett. dell' istit. arch.* 1842 p. 31.

(83)

CN · FIGVLANVS · SANCTISS · SILVANO
ET · HERCVLI · MENSAS · N · III
D · S · D · D

Incompertae nobis originis est lapis, atque ἀνέκδοτος videtur. *Sanctissimi* cognomen Silvano saepe in inscriptionibus tributum, ejusque et Herculis nomina conjuncta et alibi saepissime. Gruter. pag. LXII num. 8:

SILVANO · ET HE
RCVLI · SANCTISSI
MIS · DEIS · SACRV
M · etc.

Vide et Murator. pag. LXX num. 8, 9 etc. Anaglyphon Herculem et Silvanum exhibens est in museo Chiaromonti tab. XXI, ad quod vide notata ab eruditis ejus musei interpretibus Viscontio et Guattanio. *Mensas* in aedibus sacris ararum vicem obtinuisse narrat Festus *h. v.* ubi vide Scaligerum. Vide quoque virorum doctorum notas ad Petron. *satyr.* c. 135 illa verba: *mensam veterem posuit in medio altari, quam vivis implevit carbonibus* etc. Denique de sacris his mensis legendus et Passerius in Gorii *symb. florent.* tom. I p. 198 seqq. et Marinius *arval.* p. 588, qui hanc Silvano positam inscriptionem edit, in qua et *mensae* ejus memorantur:

SILVANO
SACR..M
SECTORES
MATERIARVM
AQVILEIENSES
ET · INCOLAE
POSVERVNT
ET · MENSAM

Τράπεζα quoque pro *ara* in graecis inscriptionibus; vide *le antiche iscrizioni di Palermo* p. 69, Osann. *syll.* pag. 217. Notandum denique nostram hanc inscriptionem arae insculptam in qua et scyphus anaglypho opere exhibetur encarpo ornatus. Scyphum vero saepe Hercules Silvano adjunctus manu tenens pingitur.

(84)

LIBERO ˀ PATRI ˀ SA
CRVM ˀ XX ˀ ANNALE
T ˀ FL ˀ EGLECTIANI ˀ SACE
AVREL ˀ AVG ˀ LIB ˀ DRACo
PAPASTATA CONSACRAVIT

Notandus lapis puteolanus a Capacio editus *hist. puteol.* p. 25 et *hist. neap.* lib. II cap. 24:

LIBERO · PATRI · SACRVM
T · T · FLAVII · ELECTIANVS . ET · OLYMPIANVS
FIL · EIVS · SACERDOTES · ORGIOPHANTAE

Idem marmor ut videtur Gruterus sic exhibuit pag. LXVI n. 9: *Puteolis in Campania collat. cum mss. Pighii:*

LIBERO · PATRI
SACRVM
T · T · FLAVII · ECLE
CTIANVS · ET · OLIM (sic)
PIANVS · FIL · EIVS
SACERDOTES
ORGIOPHANTAE

Ant. Morillonius et alii ex libro Pontani descripserunt. Edidit denique Muratorius, sed male pro Puteolis Carthagenae ait asservatum apud Io. Vincentium Capomazium (pag. CLXXV n. 1). Sunt enim Capomazii puteolani :

LIBERO PATRI
SACRVM
TI · FLAVI · EGLE
LIANVS · ET · OLYM
PIANVS · FIL · EIVS
ORGIOPHANTAE

Vide quoque de eo marmore Vandale *dissertat.* pag. 488, Romanelli *viaggio* tom. II pag. 249. Videtur et in eo T. Flavii Eglectiani ejusdem fieri mentio de quo in nostro lapide, cujus hic me judice est sensus: *Libero patri sacrum vicennale T. Flavii Eglectiani sacerdotis. Aurelius Augusti libertus Draco parastata consacravit*, nisi tamen mavis *sacrum consacravit.* Ergo idem T. Flavius Eglectianus qui orgiophanta dicitur in altero, quem memoravimus, lapide, sacrum vicennale Libero patri fecit, de quo noster hic lapis, i. e. ut interpretor, prius post XX annos iteravit. Id nempe in tauroboliis fieri consuevisse veterum testimoniis ac monumentis probatum dedit Vandale *dissert.* p. 127 seq, quam iterationem et in Liberi patris sacris usurpatam docet hic lapis. Eglectiano vero adfuit *parastata* (perperam in marmore *papastata*) Draco Aurelii Augusti libertus qui ideo *consacrasse* dicitur. Eadem scribendi ratio et alibi: vide Gruter. pag. CCCXLIII n. 2 etc. Vox haec (παραστάτης) in inscriptionibus, quod sciam, inaudita, neque apud veteres scriptores ea ministrum sacrorum (*adsistentem*) indicari usquam reperimus, quum saepe in militia ceterisque rebus ea veteres sint usi. Notum tamen est aram a Clymeno in Olympia tum aliis Curetibus, tum vero Herculi Idaeo proavo suo dedicatam, cui Παραστάτην cognomentum indidit. Vide Pausan. lib. V cap. 8, et 14, et lib. VI cap. 23. Quum fuerit vero Idaeus Hercules Curetum παραστάτης, facile potuit eodem nomine in Liberi patris sacris majoris sacerdotis minister quidam, vel *adsistens* appellari, ut *sacerdos secundo loco*, quae *sacerdoti primae* opponitur in marmore taurobolico apud Donatum (pag. 20 n. 5). Et tamen parastata hic dicitur *consacrasse*, i. e., ut interpretor, sacrum cum sacerdote (primo) confecisse, quae vocis *consacrare* significatio lexicis (certe Forcelliniano) videtur addenda, et prorsus distinguenda est ab ordinaria ejus vocis acceptione, quae et in funebribus monumentis occurrit, ex c. apud Gruter. pag. DCCCLXII n. 5, DCCCLXVII n. 5, CCCCXCVII n. 18 etc. Lux his et e taurobolicis marmoribus venit, in quibus et *consacerdotes* (Donat. l. c. n. 7), et qui plane παραστάταις his nostris respondent, *adsistentes sacerdotes* memorantur (Spon *miscell.* p. 98). Diversa aliquantum significatione narrat Athenaeus (*dipnos.* lib. XIII pag. 574 Dalech.) de Corinthiis meretricibus αἱ παραγινομένου τοῦ Ξενοφῶντος καὶ θύοντος τῇ Ἀφροδίτῃ συνῆλθον. Scribitur porro EGLECTIANI pro *Eclectiani* ut alibi EGLECTVS pro *Eclecto.* Vide Gruter. pag. CCCCIII n. 5, et sic quoque in lapide edito a Gorio (*inscr. Etr.* tom. III p. 239) propter nominis adfinitatem plane comparando cum his nostris:

T · FLAVIVS
AVG · LIB
EGLECTVS
AB · VNGVENTIS
FECIT · SIBI

Lapides qui *orgiophantas* memorant, idest puteolanum quem modo dedimus, et alterum editum a Vulpio opusculorum a Calogerà collectorum vol. XIX p. 150, valde suspectos dicit Orellius *latin. inscr.* n. 1483. Puteolanus certe fidei est indubiae, ejusque γνησιότης et nostro hoc

musei regii lapide firmatur. Exstat modo ille apud clar. vir. Iosephum Castaldium collegam nostrum ubi saepe conspeximus. Lapidem vero a Vulpio editum, in quo occurrit *orgiophanta maximus*, exscripsisse se ait editor e Pratilli *via appia* lib. IV pag. 55. Apud Pratillium tamen pag. 478 (non 55) mutilus dicitur lapis, cuius priores quinque lineas transcribit, ceteris sex plane omissis, in quibus nempe maximum illum orgiophantam Vulpius intruserat, Musis, ut apparet, invitis. Nostra haec Eclectiani inscriptio arulae insculpta est in cujus dextro latere urceus, in sinistra patera exhibentur.

(85)

In arae antica facie :
DVSARI · SACRVM

In ejusdem postica facie :
SACRVM

(86)

In arae antica facie :
·DVSARI · SACRVM

In ejusdem postica facie :
SACRVM

(87)

In arae antica facie :
DVSARI

In ejusdem latere dextro :
SACRVM

In ejusdem latere sinistro :
SACRVM

In ejusdem postica facie :
DVSARI

Fuit *Dusares* Bacchi apud Arabas culti cognomentum. Vide Tertullian. *apolog.* c. 24, Stephan. in Δουσαρὴ, Hesych. in Δουσάρην; Martem pro Baccho intelligit Suidas voc. Θεὺς Ἄρης. Vide fuse de ea voce disserentem Bochart. *Phaleg* lib. II cap. 19, et quos laudat Alberti ad citat. Hesychii locum, atque e recentioribus Zoegam *de obelisc.* p. 205, Creuzerum *Dionys.* p. 258 cet. In numis Bostrae memorata AKTIA ΔΟΥCAPIA, et in ejusdem urbis, item Adraae Arabiae, Germes quoque Galatiae, et, ut Vaillantio visum, Tyri numis ΔΟΥCAPIA (sic) addito torcularis typo. Vide Froelich *IV tentam.* p. 128 et Eckhel. *doctr.* tom. III p. 178, 500, 502, Mongez *mémoires de l' instit. de France* tom. III pag. 61. Tres arae sunt, in quibus haec exstat epigraphe, ad Puteolos ex ipso mari extractae, anni 1754 mense majo, haud longe ab aedificio, quod Serapidis templi nomine est celebratum. In tertiae unoquoque latere leguntur verba:

DVSARI-SACRVM-DVSARI-SACRVM

In ceteris duabus legitur in fronte DVSARI · SACRVM, et ab opposito latere SACRVM. Ejus inventi marmoris statim notitia est inter viros doctos pervulgata. Itaque de eo meminerunt Martorellius *thec. calam.* p. 652, Zaccaria *istor. letter. d'Ital.* tom. XIV p. 103 seqq., Wardius in *philosophical transactions* tom. XXX an. 1757. Discimus e Gerberti *itin. alamann.* etc. p. 479 fuisse et qui epigraphen legerent DVSARIS · SACRVM, et sic interpretarentur: *Diis* (pro *divis*) *aris sacrum*. Boettigerus Dusarem in puteolanis his lapidibus esse Serapidis cognomentum affirmavit (*Kleine Schriften* tom. III p. 245). Ararum forma videtur ipsius Dusaris imagini, quae quadratus fuit lapis(Tertullian. Suid. *ll. cc.* Porphyr. περὶ ἀποχῆς lib. II cap. 56), plane respondere: fuit tamen ille lapis nigro colore, ac proinde a nostris his aris, quae ex albo sunt lapide, diverso. Ceterum aras suo quasque numini inscribere adeo solemne, ut de *ara maxima*, quod nomine dei alicujus inscripta non esset, notatum sit quasi singulare. Vide Salmas. *exerc. Plin.* pag. 7.

(88)

IVSSVS · ASCVLAPIO · C · CEL
SINIVS · MARTINVS

Digitized by Google

E Borgiano museo edidit Marin. *arval.* p. 26, ac deinde Cardinalis *iscrizioni veliterne* pag. 11, qui ait Velitris effossum labente saeculo XVIII. Inscriptum basi, cui Aesculapii, aliusque figurae, quam Telesphorum dicit Cardinalis, sigilla imposita, quae nempe a Deo jussus C. Celsinius Martinus posuit. Nota formam *Asculapio* (male dedit Marinius et Cardinalis AESCVLAPIO) quae propius accedit ad graecum Ἀσκλήπιον, pro quo et saepe latinae inscriptiones habent ASCLEPIO. Vid. Gruter. pag. XXI n. 2, p. XXXVI n. 6, pag. LXVIII n. 12, pag. LXIX n. 2, pag. LXX n. 6, 7 etc., *memorie romane di antich.* tom. III p. 68, Lerschii *central. Mus.* etc. fasc. III n. 11. *Iussus* rarius in lapidibus (ut apud Gruter. p. IV n. 12); frequentius *ex jussu*, *ex imperio*, *ex monitu*, *ex praecepto*, aliaque similia. Vide quae habet Marinius et Cardinalis *ll. c.* Apud Marinium *iscriz. Alban.* pag. 5: SANCTO . AESCVLAPIO . EX . IVSSO . NVMINIS . DEI . POSVIT . MVSTIVS etc. Iussa vero haec deorum, ut plurimum, καθ' ὄναρ. Vide Phrynich. *eclog.* pag. 421 Lobeck, et quae notat Iacobsius ad lepidum Ammiani epigramma *anthol. gr.* tom. X pag. 133 seq.

(89)

ESCVLAPIO
DICTV · ET · FACTV
ISOCHRYSVS

Lamella aerea Borgiana edita a Guattanio *notizie sulle antichità e belle arti* ann. 1784 pag. XCIV, qui τὰ *dictu et factu* interpretatur pro eo quod italice dicimus *detto e fatto*, *confestim*, ἅμα ἔπος ἅμα ἔργον (Aristaen. lib. II ep. 7). Sic et Marinius *iscriz. Alban.* p. 5, qui de valetudine intelligit ex Aesculapii visu confestim restituta, et Terentii illa advocat (*heautont.* act. IV sc. 5 v. 12) *dictum et factum reddidit*. Marinium sequitur quoque doctissimus collega noster Boissonade in notis ad Nicetam Eugenianum tom. II pag. 9, et Orellius *syllog.* tom. I n. 1573, qui classicum de Aesculapii apparitionibus locum citat Origenis *adv. Cels.* III 24 pag. 461 Bened. Haec tanti sunt ut vix locus reliqui videatur conjecturae de Isochrysi nomine sic explicando, ut talis *facto* esse dicatur qualis nomine (*dicto*) vocaretur, idest aureus vir, adeoque excellens, numerisque omnibus absolutus. Iocus itaque in ipso nomine esset, ut apud Ciceronem in Chrysogoni nomine: *venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni* etc. (pro *Sexto Roscio* cap. 43). Ceterum frequentissimum esse in lapidibus nomen hoc Isochrysi omnibus est pervulgatum. Itaque occurrit apud Boeck. *corp. inscr. graec.* t. I pag. 621, Gruter. pag. DCCCCLXXXX n. 3, pag. DCCCCLXXXXIX num. 8, pag. MLXXXIX num. 6 (*Isochryse* est apud eumdem pag. DCCCXXXV n. 5), Fabrettum pag. 275, 510, apud quem habes et medicum Isochrysum cap. IX pag. 669. Vide et Hultmanni *miscell.* pag. 467 et frequentinam inscriptionem in Giustiniani *dizionario geografico del regno di Napoli* tom. IV p. 382, item Carli *antichità ital.* tom. II p. 128, Lebas *inscript. de l'exped. de Moreé* fasc. 5 p. 61. HISOCHRYSVS est apud Guasco *musei capit. inscript.* tom. III pag. 92. Occurrit et ISARGYRVS, Fabrett. pag. 357, Spon *miscell.* p. 257 etc. Ceterum Isochrysi nomen vel ea de caussa medico convenientissimum videri potest, quod et remedium *isochrysum* reperitur. Vide Maffei *Gall. antiq.* pag. 81.


(90)

DOMINO AESCVLAPIO
ET HYGIAE EX PERMISSV
EORVM NEGOTIATIONIS ·
FABARIAE · GRATIAS
AGENTES · NVMINI
ET ARATIS · EORVM ·
T · IVLIVS · GINESIA
CVS · ET · CAECILIA
BALBILLA · CERI
OLARI A DVO · SATV
RI ETANTI OTES
LIBENTES · DONVM
DEDERVNT ·

Digitized by Google

Edita primum a Ficoronio (*bolla d'oro* pag. 75), qui Romae inventam ait in monte Coeliolo, atque a se positam in museo collegii romani, a cujus nempe praefecto exemplar Muratorius accepit, atque edidit p. CXXXII. Idem tamen dederat et antea p. XX n. 3 juxta exemplar acceptum ab Ignatio Maria Como. Transiit deinde lapis in museum borgianum e quo aeri accurate insculptum exhibuit Marinius *arval.* p. 49. Commentatus est in hunc lapidem C. H. A. in *miscellaneis observationibus novis* anni 1742 tom. IV pag. 193 seqq. Edidit denique Orellius (*sylloge* tom I n. 2515) additis quibusdem observationibus, quarum summa hue redit. Ait initio lapidem vel explicandum *sodalicii negotiatorum fab. nomine*, vel jungendum *Aesculapio et Hygiae negotiationis fab.* id est *ab hoc sodalicio cultis*. Satius nobis videtur *τὸ negotiationis fabariae* eum *gratias* conjungere, ita ut dicantur Ginesiaeus et Balbilla *gratias negotiationis fabariae* Aesculapio et Hygiae agentes; cujus negotiationis collegii vel sodalicii nomine recte, ut videtur, judicat Orellius positum lapidem fuisse. *Negotiationem* pro negotiatoribus ipsis dici recte quoque notavit, quem modo citavimus, C. H. A. Erant vero negotiatores *fabarii* ut *lentiarii* (Gruter. pag. DCXLIX n. 5), *leguminarii* (Murator. pag. DCCCCXXXV n. 3), *frumentarii* (ibid. et Gruter. pag. CXXVIII num. 2, DCXXII n. 6.) etc. *Negotiator artis chartariae* legitur in lugdunensi epigraphe a Millino edita *voyag. dans le midi* etc. tom. I pag. 457. Sed ut haec plana, sic monstri instar quod legitur lin. 6 *numini* et ARATIS *eorum*. MERITIS legit C. H. A et Canuegieterus probabilius (Orellio judice) quam Saxius GNATIS, Podalyrio nempe et Machaoni : utrumque tamen et a marmoris fide, et ab ordinario loquendi usu abscedit. Vide an non legendum sit potius, vel saltem intelligendum, ARATI*onibus* EORVM (*negotiatorum* nempe *fabariorum*). Cannegieterius (*de mut. roman. nom. ratione* p. 70) pro ARATIS legit IMPERATIS quam vocem probat medicorum, et deorum medicinas dantium esse propriam, unde *domini* dicti et *κύριοι*, uti hic Aesculapius, ab ipsis deorum servis ac libertis. Sed haec plane respuit marmoris lectio. Servorum ac libertorum *a rationibus* frequentem esse memoriam in officiis et augustae domus et privatae pernotum. Incertissima sunt quoque verba SATVRI ET ANTLOTES, vel ut in marmore potius legi videtur ANTIOTES, varieque explicata vel tentata. *Satyros* prima voce significari vidit Muratorius, de altera incertus. C. H. A. legit *ceriolaria duo Satyris et mutiolis*, idest ornata Satyris et mutiolis, quos parvos *mutones*, vel Priapos, interpretatur. Saxius, Orellio teste, SATVRI non tangens, MVTONES legit. Cogitat Orellius de laneibus SATVRIS (vide Marin. *arval.* pag. 204) et de *ἀμφώτισι*, vasibus utrimque ansatis, dono minus utique obscoeno. Rem plane incertam in medio adhuc putamus relinquendam. De ceriolariis vide lapides apud Gruter. pag. CLXXV n. 4, Reines. class. I n. 273, Murator. pag. CXXII n. 1 et pag. CLXV n. 4, Maffei *mus. veron.* pag. LXXXIII n. 2. *Cerulas duas argenteas* eodem, ut videtur, sensu memorat Gruteriana inscriptio pag. CXI n. 12. *Κηρίολοι faces cereae* memorantur in inscriptione apud Boeckium *corp. inscr. graec.* tom. II pag. 624.

(91)



Edita a Grutero, nec tamen satis emendate, pag. MXIII num. 10, aitque Romae exstare apud Horatium Vallaeum. Edidit iterum Viscontius *iscrizioni del museo Jenkins*, *oper.* tom. I pag. 114, qui recte

Digitized by Google

aram esse monet superiore parte mutilam, in cuius uno latere palma, in altero corona sculpta. Lin. 6, 7 legit > *centuriae Serotini*. Dat tertio Orellius *sylloge* n. 1770, cum hac adnotatione ad notas lineae 6: *Praetoriae piae victricis, Visconti (Grut. 40, 9, Gud. 152, 9), Fabr. p. 218 contra praetoriae praetorii urbis. Sed verum est praetoriae piae vindicis.* Vide de his notis P · V · earumque interpretatione Marin. *arval.* pag. 622. VII cohors praetoria P · V · *Pia Vindex Severiana* dicitur hic ex recepto more quo imperatoris nomine cohortes ornabantur: e cujus nempe cohortis centuria Serotini fuit Marinus hic noster. Sic et alibi eadem cohors dicitur *Antoniniana*: Vide Cardinali *dipl. milit.* p. 273 et Kellerm. *vig. rom. laterc.* pag. 59 n. 168, qui et vaticanam edit inscriptionem in qua legitur CHO · VII · PRE · (*sic*) P · V · De numine Fortis Fortunae pervulgata sunt omnia. De *Fortis Fortunae* templo trans Tiberim ad miliarium I et (VI) mentio fit in Kalendario Esquilino mense junio. Vide Orellii *syllogen* tom. II pag. 412.

(92)

FORTVNAE › REDVCI
DOMVS · AVGVST
SACRVM
TRIB › SVC › CORP › FOEDER
M › ALLIVS › TYRANNVS › C › FVRINIVS › FAVSTVS
P › FVLVIVS › PHOEBVS › AVRAR › L › VENNONIVS › ZOSIM....
C › AVRELIVS › PRIMVS
IMMVNES PERPETVO › D › D


Edita a Grutero p. LXXVIII num. 3 cum hac epigraphe: *Romae in basi seu ara marmorea anno MDXLVII ad aram Septimii reperta, extractaque.* Aliam similem prorsus epigraphen in ara marmorea anaglyphis insigni e Boissardo restituit Gruterus idem *l. c.* n. 4 et repetita est in *supplemento* operis Montfauconiani tom. IV tab. 26. Quibus ob argumenti affinitatem adjungenda est tertia quae apud eumdem Gruter. legitur pag. MXIV num. 2:

FORTVNAE
REDVCI · DOMVS
AVGVST
....
CVRATORES · OPER · PVBLIC
Q · PETRONIVS · C · F · PAETVS
MENS · ITER · HONOR · IN · CVR
FVNCTVS · ET · NOMINE
M · ANTONI · L · F · POLLIONIS
P · CLODI · P · F · FELICIS
Q · FABI · A · F · AMPLIATI
IMMVN · PERPET
ARAM · D · S · P · P

Has ergo aras *Fortunae reduci* domus Augustae sacras fuisse tenemus, quarum priores duas dedicarunt TRIB*ules* SVC*cusani* CORP*oris* FOEDER*atorum*. Fuisse nempe in Romanorum tribubus *juniorum* et *seniorum corpora* sat notum ex aliis inscriptionibus. Gruter. pag. DCCXI num. II: TRIBVLI · TRIBVS · PALATINE (*sic*) · CORP · IVNIORIS · Ibidem pag. MCXV num. 8: A · TRIBVLIBVS · TRIBVS · PALATINAE · CORPORIS · SENIORVM · CLIENTVM · ec. Addenda et Gruteriana inscriptio pag. CIV num. 6, quam PACI · AVGVST. . . . CVRATORES · TRIB · SVC · IVNIOR · S · P · D · D, et Treboniano Gallo positus lapis in quo TRIBVS · PALATINA · CORP · IVNIORVM · IVVENAL in *mémoires de l' acad. des inscr. et bell. lett.* tom. XXVIII pag. 636. Vide Marin. *arval.* pag. 173 et nos infra ad n. 107. Vt quid sint seniorum juniorumque corpora in tribubus facile assequimur (vide praeter Marin. *l. c.*, Sigon. de *ant. jure civ. rom.* lib. I c. 4 et 14, Gron. *observ.* lib. IV cap. I et cap. 10, e quo

patet *corpus iuniorum seniorumque* pro *seniorum iuniorumque centuria* potuisse recte usurpari), sic contra de foederatorum corpore vel centuria in tribubus quid certo statui possit non succurrit. Dubitat Orellius qui lapidem nostrum e Grutero transcribit (*syllog*. n. 3096), utrum *foederatum* an *foederatorum* cum Franckio sit explicandum. Plane vero rejicienda est Petri Servii explicatio, qui lapidis nostri notas sic exponit TRIB*utarii* CORPO*rati* FOEDERA*ti* (*miscell*. cap. 8). Ceterum fuit succusana tribus Romae eadem quae suburana, inter urbanas prima: Varro *de lingua latina* lib. v § 56, Fest. v. *Subura*. *Aurariam et margaritariam de via sacra* memorat lapis apud Orellium (*syllog*. num. 4148), qui et de *aurariorum* collegio consulendus ad lapidem *sylloges* suae n. 4065, ubi probat rectius legi *aurariarum*. De *plumbariis* officiis docte Marinius *marmi Albani* pag. 102 seqq. Caruimus *Franckii* libro *de tribuum ratione*. *Immunes* et *immunes perpetui* in collegiis et corporibus saepissime in inscriptionibus memorati. Apud Bianchini *hist. eccles. quadrip*. tom. I part. 2 p. 89 et Marinium *arvali* pag. 69 habentur *immunes perpetui* A MAGISTERIO. Sed de his immunibus iterum mentio facienda est infra ad num. 107. Memoratur et corporis custodiariorum IMMunis Anni IIII in lapide capitolino apud Bianchin. l. c. p. 145.

(93)



Edita ab Apiano pag. CXXXVI et a Grutero p. LXXXII num. 2 cum hac epigraphe: *Capuae in templo S. Benedicti, nunc translatus ad Iesuitas. Gud. litera boni temporis Gr.* subditque: *Stephan. Pighius vidit et exscripsit.* Editam tamen apud Gudium haud reperi. Vide quoque Zornii *biblioth. antiq. exeget.* tom. II p. 654 seqq., Aegypt. *ad S. C. de Bacch.* p. 101 seq., et Bottari *mus. capit.* tom. III p. 384. Legendum vero BALBINVS, non BABINVS, ut passim. Isidem Deam unam esse omnia Balbinus sit ex recepta opinione. Sic de se ipsa jactat Dea apud Apulej. *metam*. lib. XI p. 761 Oudendorp. *En adsum tuis commota, Luci, precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, saeculorum progenies initialis, summa numinum, regina manium, prima coelitum, deorum dearumque facies uniformis.* Hinc et *Summas Dea* dicitur eidem pag. 752 et alibi. *Myrionymae* nomine saepe in lapidibus salutata. Vide Orellium n. 1879 sq.

(94)

ISIDI · A · · · ·
S A C · · · ·
C · NOVIVS · C · F · PRISCV · · · ·
SOLO · ET · PECVNIA · SV · · · ·

Fragmentum e Danielii collectione in regium venit museum: editum est anno 1802 ab Augustino Mastrominico p. 95 libelli inscripti: *ricerche storico-critiche intorno all' antico vico fenicolense presso Literno*, qui lapidem docet inventum anno 1791 in agro falerno, loco qui dicitur *Civita-rotta* ubi erat *Forum Claudium* (ib. pag. 91). Isidis epitheton supplendum *Augustae* ut videtur. Vide Gruter. p. LXXXIII num. 4, 5, 6, 7, 8, et pag. MLXVI num. 1, cui Deae sedem sacrasse videtur Priscus *solo et pecunia sua*, plane ut M. Tullius Fortunae Augustae Pompejis. Vide supra num. 50. A · SOLO · IVRIS · SVI · PECVNIA · SVA dicitur in percelebri lapide apud Orellium *syllog*. n. 39. LOCO PRIVATO habes apud Turrium *monum. vet. Antii* pag. 304. *D. Novii Prisci* mentio fit in inscript. Grut. pag. CIV num. 6.

Digitized by Google

(95)

In parte superiore :

LYMPHIS · V · S · L · M

Medio anaglypho :

In parte inferiore :

M · OCTAVIVS · ALEXANDER

Pithecusis repertus: ex eorum est genere qui Pithecusarum Nymphis vel Nymphabus ab iis positi sunt qui salutarem balnearum vim experti fuerant. In anaglypto opere Apollo est πάρεδρος tribus Nymphis adstitutus, de quo diximus supra ad marmor 79 et seqq. Alibi Nymphis consociantur Hercules, Silvanus, Diana etc. Vide quae e Fabretto, Sponio, Holsteuio habet Lochnerus in dissertatione cui titulus: *Nerium sive Rhododaphne* etc. pag. 21. Nymphas quoque tres, adsidente aegroto, stantes exhibet quantivis pretii graecum anaglyptou apud Inghir. *mon. etr.* ser. VI p. 16, tab. E 2 n. 2. Pana tribus Nymphis adstantem exhibet Nanianum marmor cum epigraphe latina editum a Hieronymo Zannetti *osservazioni sopra un antico bassorilievo* tom. IX recentioris calogeranae collect. pag. 299 seqq. Porro in lapidibus *Lymphae* et *Nymphae* promiscue usurpata, sed frequentius *Nymphae*. Vtrasque jungit lapis Gruterianus pag. XCIII num. 1: *Nymphis Lymphisque aug. dulcissimis*, et sic quoque alibi. Vide Orell. *syllog.* n. 1657. LYMPHIS · SAC in lapide apud Vermigliolium *iscriz. perug.* tom. II p. 373.

(96)

A · AVIANIVS · CILO
LYMPHIS · V · S · L · M

Et ipse Pithecusanus. Iusignis lapis propter *Avianii* nominis ὀρθογραφίαν, pro qua invaluit AVIANVS. Notandum quoque est CILO pro CHILO. Fuit et hoc Flaminiae gentis cognomen et varie scribitur in numis. Vide notata ab Eckhel. *doctr.* tom. V pag. 212, et Gothofr. ad leg. 4 lib. 1 tit. 15 *pandect.*

(97)

In arulae facie antica, parte superiore :

L · RANTIVS · L · F · TRO · LVMPHIEIS

Protome juvenilis adversa subridens hedera coronata, quid incertum habet dextro humero impositum, opere anaglypto.

In inferiore parte :

ΛΕΥΚΙΟΣ ΡΑΝΤΙΟΣ ΛΕΥΚΙΟΥ
ΤΙΟΣ ΝΥΜΦΑΙΣ

In latere sinistro :

L V M . . . .

Insignis epigraphe optimam latinae linguae aetatem, ni fallit ὀρθογραφία, arguere videtur. Arae inscripta est Pithecusis repertae, in cujus latere eadem vox LVMPHIEIS (sic) repetita fuisse videtur. Legitur et LVMPHEIS in inscriptione apud Murator. p. CCXVIII n. 1. Addita graeca inscriptio Pithecusarum ἑλληνισμὸν arguit,

in qua tamen TROMENTINAE tribus mentio omissa. Rantius vero Nymphas coluisse ea potissimum de caussa videtur quod ejus nomen a ῥαντισμῷ *adspersione*, prono quasi alveo derivetur: itaque addendum hoc exemplum innumeris aliis nominum propriorum e sacra quadam significatione deorumque ipsorum vel nominibus vel cognomentis derivatorum, de quibus praecipue consulendus cl. Panofka in duplici dissertatione: *von einer Anzahl antike Weihgeschenke*, et *von der Einfluss der Gottheiten auf die Ortsnamen*, utraque actis berolinensis regiae academiae ann. 1840 inserta. Ceterum vocem ῥαντισμὸς etiam sacro christianorum sensu usurpatam constat a beato Petro ep. I cap. I, v. 2.

(98)

AVR ⁄ MOM
NVS ⁄
VM SVIS

Anaglyptum

NVM·FAB·
VS·D·D·CV
M·SVIS·A
LVMNIS

Inventus lapis in agro veliterno, et in borgianum museum illatus, editus primum est, ut videtur, a Guattanio *monum. ined.* a. 1787 pag. XL et XCIV. Habet opere anaglypto tres Nymphas, Castorem ex una, Pollucem ex altera parte stantes: infra est fluvius recubans. Ejus anaglypti imaginem aere incidendam curavit eminentissimus Borgia, docente Vermigliolio *iscriz. perug.* pag. 224, et Cardinalio *iscriz. velit.* pag. 27, ubi iterum edita est epigraphe. Ex ea, ut videtur, tabula Millinus in *galer. mythol.* tab. LXXX n. 530 tomi II pag. 61 ediderat anaglypton, addita singulari hac epigraphes explicatione: AVRELIVS MONNVS CVM SVIS ex uno latere, et ex altero NVMERIVS FABIVS DEDICAVERVNT CVM SVIS ALVMNIS: quae omnia Cardinalium prorsus latuerunt. Conjicit Cardinalius Dioscuris dedicatum lapidem vel pro suscipiendo itinere, vel pro reditu, et plura quoque notat de terno Nympharum numero in hoc aliisque monumentis obvio. NYMPHABVS et alibi. Vide Orellii n. 1628 1629. Puncta inter syllabas saepe et in aliis lapidibus obvia, res est pervulgata.

(99)

CAPELLINA ⁊ V ⁊ S ⁊ L ⁊ NYMPHIS

Ara et haec Pithecusana. Idem plane quod et praecedentium argumentum. Ornatur anaglypto opere Apollinem cum Nymphis exhibente. Exscripta e Gerhardi et Panofka *Neapels antike Bildwerke* pag. 142 ab Osanno in Zimmermanni *Zeitschr. für die Alterthumswissensch.* p. 590.

(100)

SEX ⁊ FABIVS ⁊ C ⁊ F ⁊ VOL ⁊ GEMELLVS ⁊ NYM
PHIS

Anaglypho subscriptum Pithecusis reperto, de cujus imaginibus aliisque similibus alibi dicendum, quum de solis nunc inscriptionibus tractandum nobis proposuerimus.

(101)

T ⁊ TVRRANIVS ⁊ DIONVSIVS (sic)
NVMPHIS ⁊ DONVN (sic) ⁊ DEDIT

Eadem et patria et argumentum. Ὀρθογραφία graecum scalptorem arguere videtur. CN. TVRRANIVS CERDO et TVRRANIA DYNAMIS occurrit in lapide apud Marinium *arvali* pag. 611.

(102)

.... VSCEPTO ⁊
.... NYMPHABVS ⁊
.... NS ⁊ L ⁊ A ⁊ D ⁊ D ⁊

Fragmentum superioribus addendum. Nymphae ipsae in anaglypho sculptae. Ex opere Gerhardi et Panofka quod jam laudavimus supra ad n. 99, exscripsit Osannus: vide Zimmermanni pag. 590. Osannus priore linea *voto suscepto* sup-

Digitized by Google

plet, postrema *Valens* vel quid simile. Sequentem vero clausulam, quam sic legit I · A · D · D, minus sibi intellectam fatetur. Sed omnino legitur in marmore L · A *libens animo* ut mox n. sequ. et supra n. 72.

(403)

..VIVS LÉITVS NÝMPHÍS NITRÓDIS

VÓT › SOL › L › AN ›

Anaglypho superscriptum. De Nymphis nitrodibus diximus ad marmor 72 Minus emendate habes hic NITRODIS pro *nitrodibus*. An voluit scalptor NITROSIS?

(404)

SANCO · SANCTO · SEMONI
DEO · FIDIO · SACRVM
DECVRIA · SACERDOTVM
BIBENTALIVM · RECIPERATIS
VECTIGALIBVS

Citari hanc inscriptionem a Ful. Vrsino, apud quem olim Romae fuit, in notis ad Caesarem ait Gruter. qui edit cum aliis affinis argumenti p. XCVI num. 6 legitque perperam SANCTO · SANCO. Transcripsit Orellius tom. I n. 1861, qui lapidem niti ait sola Vrsini fide suspectissima. Quapropter gratulandum est nobis, qui αὐτόπται lapidem ab omni νοθείας suspicione liberamus. *Sanci* Sabinorum numinis, quod Hercules esse creditur, saepe a veteribus fit mentio. Vide Dempster. *paral. ad Rosinium* lib. I cap. 13 p. m. 36. Idem et SEMO et DEVS · FIDIVS dicitur in alio lapide apud eumdem Gruter. pag. XCVI num. 5, quem Deo ponit QVINQVENNALIS · DECVR · BIDENTALIS. Quae plura nomina illustrat Ovidius *fastor.* lib. VI v. 213 seqq.

Quaerebam nonas Sanco, Fidione referrem,
An tibi, Semo pater; quum mihi Sancus ait:
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina trina fero; sic voluere Cures.

Vide quoque Festum in *praedia* et Dionys. Halic. lib. IV cap. 58, Vandalium *de orac.* pag. 449, 579 seqq, Io. Isaac. Pontanum *ad fragm. histor. latin.* a Popma collectorum pag. 191 seq., Middleton *the miscell. works* tom. I pag. 33, Baronii *annal.* ad ann. 44, et maurinum editorem operum S. Iustini *praefat.* p. III cap. 6 pag. LXXXVI, et e recentioribus Creuzer *Symb.* tom. II pag. 45 seqq., Clausen *de carm. fratr. Arval.* pag. 62 seqq., Grotefendium *elem. ling. umbr.* part. 3 p. 24 qui ibid. et pag. 10 nostrum hunc quoque lapidem profert, Hartung *die Relig. der Roemer* tom. II p. 45 seqq., Ambrosch *Studien und Andeutungen* etc. pag. 170 seqq. In inscriptione apud Marinium (*iscr. Alb.* p. 10) ubi is legit SILVANVM · MONOLITHVM · SANCT · D · S · D · D · SODAL · B · M · legendum opinatur Amatus SANCI non SANCT (*giorn. arcad.* agosto 1822 p. 180 seq.). *Sacerdotes bidentales* dici qui fulmina procurarent tenent Lomejer. *de lust.* cap. 13 p. m. 158, Guter. *de jure man.* lib. I c. 5 p. m. 52. Aliis videntur qui Herculi et fortasse etiam aliis Semonibus, h. e. diis minorum gentium, erant sacri. Horum vero sacerdotum decuriam lapidem hunc Deo posuisse constat, *reciperatis vectigalibus*. Erant nempe uti virginum vestalium, sic et ceterorum sacerdotum, et templorum vectigalia, quod fuse probat Burmann. *de vectigal.* p. 100, 101, quae occupata ut videntur, a privatis, judicio bidentales nostri, ut loqui amabant, *reciperaverant;* propter quod beneficium Semoni titulum posuere. Vectigales agros esse et privatorum pernotum, et probat vel titulus digestorum *si ager vectigalis* etc.; et vectigal pro reditu quocumque usurpari. Vide Ciceronis *paradox.* VI. Ceterum de *reciperatione* vide Festum h. v. et de *reciperatoribus* late disserentem Poletum *hist. fori rom.* lib. III cap. 2, lib. V cap. 5 et alibi. De decuriis sacerdotum, quas non alibi meminisse se legere ait Velserus de Saliis agens (ep. 52 *oper.* pag. 852), vide quae docuit fuse Saxius in praef. ad Wasseu *fast.* pag. XXXIX, et quae addidit

Digitized by Google

Cardinalius in *memorie romane di antichità e belle arti* tom. II pag. 115; item Grotefend. l. c. pag. 10 qui ex eugubinis tabulis *semehnier dequrier* comparat.

(105)

. . . . Q.CINCIVS.C.F... AVL·IIII.VIR.I.D
SIGNVM·PROSERPINAE·REFICIVNDVM·STATVENDVMQVE·ARASQVE
REFICIVNDAS·EX·S·C·CVRARVNT·HSDCCIXX·MAG·FVERE·HELVIA·Q·F·ORBIA·M·F

Edita est a Grutero pag. XCVII num. 8 cum hac adnotatione: *Conspicitur magnificentissimum fanum Hipponii structum suffultumque plurimis columnis, cum inscriptione marmorea in saxo, quod in aede episcopali Mileti.* Subditque: *E libello Romae edito qui continebat delineationem numorum aliquot graecorum* idest e Prosperi Parisii libro Romae edito anno 1591, cui titulus: *rariora Magnae Graeciae numismata.* Edidit quoque Muratorius pag. CXXVIII num. 7 cum hac adnotatione: *Regii in Calabria e Gualterio.* Apud utrumque corrupta est epigraphe, uti et apud Barrium *de antiq. et situ Cal.* lib. II pag. 199, Fiore *Calabr. illust.* pag. 304, Bisogni in opere de *Hipponio* pag. 32, et Romanelli tom. 1 p. 52, unde hausit Orellius tom. I n. 1476. Repetit quoque nuper cl. collega noster Vitus Capialbus in *memorie per servire alla storia della santa chiesa miletese* pag. LIX, qui et a Marafioto editam docet; et cl. collega item noster Castaldius *la magna Grecia* pag. 94. Vide quoque *historiam chronologicam abbatiae SS. Trinitatis Mileti* editam Messanae an. 1699, p. 5. Iterum dum nostra haec ederentur, cl. Capialbus in opere cui titulus *inscriptionum vibonensium specimen*, epigraphen edidit. Fuit hoc insigne monumentum e lydio lapide, celeberrimi apud Hipponienses templi Proserpinae, quae dea Hipponii speciatim culta, quod eo (teste Strabone lib. VI p. 256 Casaub.) florum legendorum gratia Sicilia venisse credebatur. Hujus templi columnis ac lapidibus usus est Rogerius Siciliae comes, qui quum apud Miletum duas construeret ecclesias (si fides Marafioto lib. II cap. 10), *indixit fabris sub praecepto ut quos vel nomine, vel insigni aliquo Proserpinae cernerent lapides, igne consumtos abolerent, ne tantum flagitium antiquarum immolationum apud christianos memoraretur.* Et re vera noster hic quantivis pretii lapis superiore sui parte truncus Mileti in foribus episcopalis aedis positus diu jacuit, itaque nomina IIIIvirûm coloniae nempe, quae Vibonia Valentiae nomine Hipponium deducta est, pene deleta. et in ceteris quoque dubia adhuc sunt complura lectionum vestigia, ita ut varie a variis intelligantur. Sic lin. 1 legit Gruterus; LVID·VIR·Ↄ·L·Q·CINCIVS·C·AVL·IIIIVIRI et D in sequentem transfert lineam, Muratorius vero L·VID·VRBIVS·Ↄ·L·Q·CINCIVS. C. AVL. IIIIVIRI (D quoque in sequentem lineam tranlato). Apud utrumque quatuor pro tribus lineis exhibentur, et postrema verba sic legit Gruterus: H-S DCCLXX. M... FVERE·HELVIA·Q·F·ORBIA·M. FILIA, Muratorius vero H-S DCCLXX·INTERFVERE·HELVIA·Q·F·ORBIA·M·F·Ceteras corruptas epigraphes lectiones supervacaneum duximus memorare, id solum monuisse contenti a nemine adhuc emendatam atque ad marmoris fidem exhiberi: quod nos maxima, qua potuimus, sedulitate praestare studuimus. Notandum porro HS DCCLXX (in lapide est DCCIXX (sic)) impendio statuam arasque restitutas: quod exemplum iis addendum, quae ceteri lapides saepe exhibent. Notanda et magistrarum Proserpinae, nempe sacerdotum mentio, quas feminas fuisse haud mirum: sic enim et Cereris sacra per feminas sacerdotes expediebantur (vide Stryk. *syntagm. antiq. roman.* pag. 620 seq.), Minervae quoque (vide Athen. lib. IX p. 375, 377 Dalech.). Magistrae vero et aliarum dearum in inscriptionibus obviae; sic e. c. *For-*

Digitized by Google

tunae magistra apud Gruterum pag. MLXXXVIII num. 4, *Deae Bonae* apud Murator. pag. CXXXIII num. 3 5, *Veneris* apud eumdem pag. CLXXIV num. 3 etc. Vide Cuper. *obser.* l. 4 cap. 2. Cetera magistrarum exempla pete ab Orellio n. 1501 1519 1520 2427 et seqq. qui tamen Proserpinae has magistras ignoravit, deceptus Romanellii lectione M. XC. FVERE, et praefert falsam quoque Muratorii lectionem INTERFVERE. Magistrae Veneris occurrunt apud eumdem Romanellium tom. III pag. 271 et MAG. ANGITIIS ibid. pag. 160. Iterum magistrae Veneris apud Lupulum *in corfin. inscrip.* pag. 188 et 189, Magistrae Bonae Deae apud Orti *antic. di Garda* pag. 11. De Orbia gente vide Marin. *Arval.* pag. 434. Nomina IIII virûm I. D. periisse videntur tria, superstite tantum Q. Cincii C. f. .. auli (forte Pauli) nomine, quod perperam in duo dispesci solet. Quare etsi Aulism gentem Hipponii fuisse docere videatur inscriptio apud eumdem Capialbium *inscr. vibon.* pag. 41, nullus tamen hic ei locus esse posse videtur. IIII viri, quod praecedebat, nominis adeo dubia sunt vestigia, ut nihil plane de eo statui posse videatur. Aliis alia: nobis videntur extremae ejus nominis litterae....ENON (ZENON?) exsculpi posse: certum vero adfirmaverit praeter Oedipum nemo.

(406)

VICTORIAE · AV......
SACRVM CON..V...........
FLATVRAE · ARGEN.......
MONETAE · CA...........
CLAVDIVS......................
VLPI..........................
VLPIV.........................
VLPIV... ....
VLPIV.........................
DEDICAT......................
L · VIPSTANIO · M..................
M · VERGILIANO · PEDON..........

Bis exhibuit Muratorius pag. CCCXIX num. 2 3, qualem nempe Roma e schedis Francisci Ptolemaei habuerat, et qualem a Montfauconio editam invenit *diar. ital.* pag. 449, mendose tamen semper. Edidit quoque Bianchini *hist. eccles.* tom. II pag. III. Legimus: *contubernales flaturae argenteae monetae Caesaris*; quo nomine e militia ducto sese officinatores monetae indicant. In usu vero habuisse eos militiae nomina ad sua officia deflectere, probat et vox *optionis*, quae de eorum praeside vel praefecto in aliis inscriptionibus affinis argumenti occurrit. Vide apud Gruter. pag. LXXIV num. 1, pag. MLXVI num. 5, pag. MLXXI; e quibus lapidibus cum hoc nostro comparatis, patet monetae officinatores in imperatoris honorem lapides plures dedicasse, eodem anno omnes, nempe u. c. DCCCLXVII, L. Vipstanio Messala, M. Vergiliano Pedone coss., qui fuit Trajani imp. XVIII. Eorum coss. mentio item in alia gruteriana inscriptione pag. CCC num. I et alibi. Comparanda cum nostro hoc lapide est inscriptio apud Orellium n. 4217, quam ait incerti loci et ex Brummero datam a Conradi *scripta min.* tom. I pag. 200, unde hausit Orellius. Ea est huiusmodi:

P . CLAVDIVS . T . F
IVSTVS . MANCIPS (sic)
OFFICINARVM
AERARIARVM
QVINQVAE (sic)
ITEM . FLATVRAE
ARGENTARIAE

Flaturarii de via sacra sunt apud eumdem Orellium n. 4192 et 4193, *faber flaturarius sigillariarius* ibidem n. 4280. Vide quoque quae habet cl. collega noster Raoul-Rochette in altera editione praestantis operis: *lettre à mons. Schorn* pag. 276, 299, 431, 442. Officinatores *mummularii* noti e Grutero, Marinio *iscriz. Alban.* pag. 102, 109, et ex eodem Orellio n. 3226 et 3227.

Digitized by Google

(407)

V I C T O R I A E
IMP · CAESARIS · VESPASIANI
A V G V S T I
S A C R V M
T R I B · S V C · C O R P · I V L I A N I
C · I V N I V S · H E R M E S · M E N S O R
BIS · HON · IN · CVRAT · FVNCTVS · ET · NOMINE
C · IVLI · REGILLI · FILI · DE · SVO · FECIT
CVI · POPVLVS · EIVS · CORPORIS · IMMVNITATEM
SEX · CENTVRIARVM · DECREVIT

Edita est a Grutero pag. CCXLIII, n. 1, qui ait Romae inventam ad arcum Septimii a. 1547. Eodem ergo et loco et tempore inventa est, quo et inscriptio musei nostri 92. Vnde patet, ut tribules succusani corporis foederati Fortunae Augustae marmor dedicaverant, sic et eosdem tribules corporis Iuliani dedicasse Victoriae. Decretam vero a tribulibus succusanis basim sua pecunia, suo et filii nomine, posuit *C. Iulius Hermes mensor*, cujus nempe nomen cum Iuliani corporis nomine belle congruit. Lin. 7 BIS · HON · IIIIl VIRAT · legit Scaliger, cui adstipulatur Orellius n. 5097: perperam, nec marmor sinit. Lege *bis honore in curatione functus*. Fuerat nempe Hermes bis Iuliani corporis curator, de qua dignitate lapis Muratorianus pag. CII num. 1:

CVRATOR . CORP
LENVNCVLARIOR
PORTVENS

In altero latere urceus; poculum Smetius vocavit. Quintus his addendus esset ligorianus lapis *Hilaritati publicae* imperatoris Vespasiani inscriptus (apud Murator. pag. CCCVIII n. 3), de quo monuimus supra ad num. 107 pro γνησίῳ a Marinio quoque agnosci: sed hunc nuper a clar. Mommsenio invictis plane argumentis νοθείας damnari invenimus in egregii operis *die Römischen Tribus in administrativer Beziehung* pag. 77 seqq. cujus judicio plane subscribimus. Itaque, hoc rejecto, restat ut, quae e quatuor aliis sincerae fidei eruantur, paucis hic memoremus. Horum unum *Fortunae reduci domus augustae* dedicant TRIB · SVC · CORP · FOEDER, alterum *Victoriae* imp. Vespasiani TRIB · SVC · CORP · IVLIANI, tertium, quem modo retulimus, *Paci Augustae octo curatores* TRIB · SVC · IVNIOR, quartum hunc denique, de quo est nobis nunc sermo, *Paci aeternae domus Vespasiani liberorumque ejus* TRIB · SVC · IVNIOR. Solus hic annum dedicationis memorat, L. Annio Basso, C. Caecina Paeto coss. qui fuit U. C. 823 p. C. 70. Nos de corporibus tribuum quaedam sane monuimus ad num. 92, ubi notavimus *juniorum seniorumque* corpora in tribubus esse pervulgata, *foederatorum* vero vel *foederatum* nec alibi inveniri, nec quid fuerit facile nos assequi posse. De Iuliano vero corpore notavimus ad n. 107, illius nomen cum C. Iulii Hermetis nomine, qui bis honore in ejus curatione functus est, belle convenire. Videntur vere eae, quas modo indicavimus, notae sic supplendae

TRIBUS SVCCUSANA CORPORUM FOEDERAtorum (sic potius, quam TRIBULES SVCCUsani CORPORIS FOEDERAtorum, ut dictum est supra ad n. 92)

TRIBUS SVCCUSANA CORPORIS IVLIANI

TRIBUS SVCCUSANA IVNIORUM. Sic enim ὁλογράμματον habet lapis a Barthelemyo editus in *memoires de l' acad. des inscr. et b. l. t.* XXVIII p. 606: TRIBVS · PALATINA · CORPORIS IVNIORVM. Legitur quoque alibi CORPORIS · IVNIORIS · Vide Gruter. pag. DCCXI n. 1.

Iam his tribuum corporibus nova plane lux adfulsisse nunc videtur cl. Mommsenii opera, qui de Romanorum tribubus in eo, quod mox laudavimus, opere adeo sollerter ac docte disputavit, ut palmam merito ceteris omnibus praeripuisse videatur. Quare pauca quaedam hic delibare contenti, lectores ad ejus libri lectionem amandamus, qui ulteriorem rei notitiam velint haurire. Itaque ad *foederata corpora* quod attinet, acute conjecit Mommsenius ipsa esse seniorum juniorumque corpora, in quibus tribus ipsa dispescebatur, foedere quodam inter se juncta, eaque de caussa duas plane similes exstare inscriptiones foederatorum horum corporum: addit foedus hoc seniorum juniorumque ejusdem tribus ea Livii narratione illustrari, quae legitur lib. XXVI cap. 22. Corpus vero Iulianum, cum ejus nempe nomine belle, ut jam notavimus ad num. 107, convenit C. Iu-

Digitized by Google

lii Hermetis nomen, *qui bis honore in curatione ejus corporis functus est*, nil aliud esse docet cl. Mommsenius, quam Iuliorum, qui in succusana erant tribu, collegium; quod probat Ciceronis pro Cornelio loco opportunissimo, qui est apud Asconium p. 74: *Quid ego nunc tibi argumentis respondeam posse fieri ut alius aliquis Cornelius sit qui habeat Philerotem? (Quasi ignora)res vulgare nomen esse Philerotis, Cornelios vero ita multos, ut jam etiam collegium constitutum sit.* Vide laudati operis pag. 85 ubi tamen pro ea, quae est in lapide, et quam nos supra dedimus, lectione BIS · HONOR · IN · CVRAT · FVNCTVS, legitur vitiose: *bis hon. III curat. functus*. In hujusmodi vero collegiis videntur cl. Mommsenio unius ejusdemque gentis liberti convenisse: et verba ea, quae in Hermetis inscriptione sequuntur (*cui populus ejus corporis immunitatem sex centuriarum decrevit*), de immunitate intelligit ab operibus unicuique centuriae (quae sex esse in eo collegio debuerunt) indictis: quam explicationem et exemplis firmat. Ad corpus denique juniorum quod attinet, jam monuimus fuisse illud, uti et seniorum, in unaquaque tribu, idque et a veteribus tradi, et lapidum quoque auctoritate firmari.

Restat nunc ut doceatur, quod noster hic lapis probat, qua ratione succusana tribus seniorum fuerit in octo centuriis divisa, quae in uno e lateribus hujus lapidis et in aversa facie indicantur. Id vel inde a renatis litteris eruditi romanarum rerum interpretes indagavere, in quibus eminet Octavius Pantagathus, cujus ea de re sententia ab Antonio Augustino litteris mandata, et cum Fulvio Vrsino communicata est, qui notis suis ad Livii lib. I cap. 43 attexuit. Ait quidem Livius, postquam de institutis a Servio Tullio populi classibus ac centuriis verba fecisset: *nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, duplicato eorum numero centuriis juniorum seniorumque, ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. Quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quae habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo: nam ejus quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Neque hae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere.* Postrema haec verba Pantagathus intelligenda docet de Servii ipsius tempore: nam post expletas XXXV tribus pertinuerunt tum ad centuriarum distributionem, tum ad numerum. Quomodo haec pluribus illustraverit Mommsenius, pete ex ejusdem operis pag. 72 et seqq. e quo, ceteris omnibus omissis, quae huc transferre nec vacat, nec nostri instituti patitur ratio, hoc unum monuisse juvat, vere atque opportune ab eo observatum, quos noster hic lapis centurionum et nomine et officio indicat, eosdem plane curatorum nomine in alio succusanao tribus lapide occurrere *Paci August.* inscripto, quem supra e Smetio transcripsimus, et qui idem apud Gruterum legitur pag. CIV n. 6. Concordat enim et numerus centurionum horum et curatorum, nempe octo, et utrorumque septimus libertus esse deprehenditur.

De *Pace aeterna*, quae et in numis memoratur, vide Liebeum *Goth. numar.* pag. 72 nostro quoque hoc Vespasiani marmore usum opportune.

(110)

Isdem.conss. IDIBVS › IANVARIS · IN CAPITO*lio*
*Taurus Sta*TILIVS › CORVINVS › MAGISTER › FRAT*rum Arvalium*

*ex permiss*V › CONSVLVM › COLLEGAS › CONVOCAV*it ad*

*vota susc*IPIENDA › PROSALVTE › TI › CAESARIS
Adfuerunt TAVRVS › STATILIVS › CORVINVS › L › CANINI*us*
*Gallus, Fab*IVS › PERSICVS › CN › DOMITIVS › 7

*Isdem conss. a.*D › X › K › FEBR › INCAPITOLIO

*Taurus Stat*ILIVS › CORVINVS › MAGISTER › FRÁTRVM › *Arvalium*
*ex permiss*V › CONSVLIS › ET › EX CONSENSV › SENATVS *Colle-*
*gas con*VOCAVIT › ETOBSECVRITATEM › ET › SALV*tem*
*Ti. Caesar*IS › AVGVSTI › BOVES › MARES › DVO › IOVI › *Optimo Maximo*
*immolav*IT
*Adfuerun*T › TAVRVS › STATILIVS › CORVINVS › FABIVS *Per-*
sicus, L › CANINIVS › GALLVS › CN › DOMITIVS ›
Isdem. conss. A › D › V › IDVS › FE*bruar. in Capitolio*

Haec et, quae sequuntur, marmora ad numerum usque 126 ad fratres Arvales pertinent omnia, quibus quum summus Marinius obtigerit interpres, otium nobis illustris viri industria in iis enodandis plane fecit. Itaque ea, quod fieri potest, emendatissima ex autographis nostris exhibere, adscriptis Marinii supplementis, ac nonnulla quaedam delibare, contenti erimus.

Vetustissima haec Marinio dicitur inter fratrum Arvalium, quae adhuc exstant, inscriptiones. Edit is tab. IV immortalis operis *atti degli arvali* pag. 42 seq., docetque a Sponio primum (*miscell.* pag. 6) *ex horto Barberino* editam, mox a Donato descriptam pag. 83 n. 6, ab utroque tamen mendose legi lin. 3 PRO · SALVTE · CAESARIS pro eo, quod in marmore est, TI · CAESARIS. Habuit demum cardinalis Borgia, e cujus museo descripsit Marinius, ac deinde in regium neapolitanum pervenit. Porro e 9 lapidis linea, ubi unus memoratur consul, quum *consules* in 3 memorentur, docte eruit Marinius anno post I. C. 18 vel 32 lapidem sculptum videri. Confer haec, si lubet, cum iis, quae supra notavimus pag. 43, et cum his quae dat Labusius in *bull. dell' ist. di corr. arch.* a. 1835 pag. 107, et Borghesius in *bullettino archeol. napol.* anno III pag. 98 et seqq. Quum vero in hoc, ceterisque Arvalium lapidibus, dicantur Arvales *in Capitolio* convocati, ratus est Marinius (pag. 43) cetera quoque collegia et sodalitia in Capitolium convocari solere, in quo suae cuique sedes, aut aediculae essent adsignatae. Sed hoc perpetuum non fuisse bene notat cl. Melchiorrius in *mem. rom. di antich.* tom. III pag. 92, ubi lapidem edit, in quo sodales antoniniani *in aede divi Pii*, non in Capitolio, convenisse dicuntur.

Digitized by Google

(111)

MINERVAE · VACCAm........
DIVO · AVGVSTO · B Ovem.....
iNTEMPLO · CONCORDIae....
inpalATIO · DIVO · AVGVSTo......
a D · ARAM · PROVIDentiae..
vacCAM · IMMOLavit.........
adfuerVNT · CN · Domitius.......
Taurus sTATIl. lus
..........VI....................

Edita anno 1587 ab Vrsino in notis ad Catonem, Varronem, Columellam pag. 214 n. 2, e quo Gruterus pag. CXVII n. 2 et Saubertus *de sacrific.* p. 489 habuere, notante Marinio *Arval.* pag. 80 tab. X ubi repetit et illustrat. Est nunc paucis hinc inde litteris decurtata, quas Marinius quasi adhuc exstautes in marmore exhibet. Turbat vero quod in 7 linea vir summus supplet *adfuer*unt quum tamen in marmore INT plane legi, uti et Vrsinus dedit, non VNT videatur.

(112)

Lapidis textum exhibemus pag. sequente.

Fuit hic lapis Horatii Fusci equitis romani, a quo dono datus est Paullo Manutio, cujus filius Aldus junior primus edidit anno 1581 in commentariis ad Ciceronis librum *de amicitia* pag. 204 venetae editionis, ut ea Ciceronis verba illustraret quae ibi leguntur: *quod autem his nonis in nostro collegio non adfuisses.* Repetit deinde Vrsinus in notis ad Catonem aliosque scriptores Romae anno 1587 editis pag. 215, ex Vrsino Gruterus pag. CXVIII et Saubertus pag. 489. Ait Marinius, qui dat Arvalium tab. XV, se e tabula ipsa exemplar suum diligenter descripsisse, eaque occasione Symmachi illa usurpat (lib. III ep. II) omnibus veterum lapidum studiosis sane recolenda verba: *me juvat vetustatis exemplar de autographo sumere.* Nos cum ipso marmore iterum marinianum exemplar conferentes, minimas nonnullas nacti sumus varietates: quae quum conferenti cuique per se appareant, eas hic adnotare omisimus. Quod lin. 18 dicitur de votis nuncupatis PRAEeVNTE M. Aponio Saturnino, docte suo more illustrat Marinius, probante quoque Borghesio in *giornal. arcad.* tom. III p. 110, ubi lapidem edit in quo eodem sensu L. Mutius Pius MONITOR. AVGVR*um* salutatur. Consules, qui in nostro memorantur marmore, sunt anni u. c. 812, post I. C. 60. Itaque priores lineae pertinent ad annum qui proxime antecessit. Litterae I, E, O, VS quae nunc solitariae sinistrorsus in lin. 12, 13, 14, 15 occurrunt, sunt prioris columnae λείψανα.

Digitized by Google

.............*XVIII K. Ian.*
..........*Magister Collegii Fratrum Arvalium immolavit in Capitolio*
ob Natalem Neronis Caes. Aug. Germanici Iovi Bovem marem, Iunoni vaccam,
Minervae VACCAM 7 SALVTI 7 PVBLIC 7 VACCAM 7 FELICITATI 7 VACCAM 7 GENIO 7 IPSIVS 7 TAVR*um*
*In collegi*O 7 ADFVERVNT 7 A 7 VITELLIVS 7 M 7 APONIVS 7 SATVRNINVS 7 L 7 SALVIVS 7 OTHO 7 TITIANVS
*Sulp*ICIVS 7 CAMERINVS 7 C 7 VIPSTANVS 7 APRONIANVS 7 P 7 MEMMIVS 7 REGVLVS 7 C 7 PISO

NERONE / CLAVDIO / DIVI / CLAVDI / F / GERMÁNICI
CAESARIS / N̄ / TI / CAESARIS / AVG / PRO / N̄ / DIVI / AVG / AB / NEP
CAESARI (sic) / AVG / GERMÁNICO / PONT / MAX / TRIB / POT / V̄I̅I̅ / IMP / V̄I̅I̅ / COS / I̅V̅
COSSO / LENTVLO / COSSI / FILIO COS

K IANVĀR ·

SVLPICIVS 7 CAMERINVS 7 MAGISTER 7 COLLEGI (sic) 7 FRÁTRVM 7 ARVALIVM 7 NOMINÉ 7 IMMOLAVIT 7 IN CAPITOLIO 7 O*b*
COS 7 NERONIS 7 CLAVDI 7 CAESARIS 7 AVG 7 GERMANICI 7 IOVI 7 B 7 MAREM 7 IVNONI 7 VACCAM 7 MINERVAE 7 VACCAM
I GENIO · IPSIVS · TAVRVM · / IN · COLLÉGIO · ADFVERVNT · SVLPICIVS · CAMERINVS · MAGISTER · L · PISO · L · F
E T 7 SEXTIVS 7 AFRICANVS 7 M 7 APONIVS 7 SATVRNINVS 7 L 7 SALVIVS 7 OTHO 7 TITIÁNVS 7 P 7 MEMMIVS 7 REGVLVS 7 C 7 PISO

ISDEM COS III 7 NONÁS 7 IANVAR

O SVLPICIVS 7 CAMERINVS 7 MAGISTER 7 COLLÉGI 7 FRÁTRVM 7 ARVÁLIVM 7 NOMINE 7 VÓTA 7 NVNCVPÁVIT 7 PROSALVTE
VS NERONIS 7 CLAVDI 7 DIVI 7 CLAVDI 7 F 7 GERMANICI 7 CAESARIS 7 N 7 TI 7 CAESARIS 7 AVG 7 PRO 7 N̄ 7 DIVI 7 AVG 7 ABN̄ 7 CAESARIS 7 AVG
GERMANICI 7 PONT 7 MAX 7 TRIB 7 POT 7 V̄I̅I̅ 7 IMP 7 V̄I̅I̅ 7 COS 7 I̅I̅I̅I̅ 7 ET 7 OCTAVIAE 7 CONIVGIS 7 EIVS 7 VICTIMIS 7 IMMOLATÍS 7 IN
CAPITÓLIO 7 QVAE 7 SVPERIÓRIS 7 ANNI 7 MAGISTRI 7 VOVERANT 7 PERSOLVIT 7 ET 7 INPROXIMVM 7 ANNVM 7 NVNCVPÁVIT
PRAEVNTE 7 M 7 APONIO 7 SATVRNINO 7 IOVI 7 MARES 7 DVO 7 IVNONI 7 VACCAS 7 II 7 MINERVAE 7 VACCAS II 7 SALVTI 7 PVBLIC
VACCAS 7 II 7 INTEMPLO 7 NOVO 7 DIVO 7 AVG 7 B 7 MARES 7 II 7 DIVAE 7 AVG 7 VACCAS 7 II 7 DIVO 7 CLAVDIO 7 B 7 MAR 7 II 7 INCOLLEGIO 7 ADF
SVLPICIVS 7 CAMERINVS 7 MAGISTER 7 A 7 VITELLIVS 7 L 7 PISO 7 L 7 F 7 M 7 APÓNIVS 7 SATVRNINVS 7 P 7 MEMMIVS 7 REGVLVS 7 L 7 SALVIV
OTHOTITIANVS

ISDEM COS III · IDVS IANVÁR ·

ADSTANTIBVS 7 SVLPICIO 7 CAMERINO 7 MAGISTRO 7 L 7 SALVIO 7 OTHONE 7 TITIANO 7 C 7 VIPSTÁNO 7 ÁPRONIANO

(113)

INCAP
RIS · AVG · GER
ACCAM · MINERVAE · VA
IATI · PVBLICAE · VACCAM · CONCORDIAE
GENIO · IPSIVS · TAVRVM · INCOLLEGIO · ADFVERV
SVLPICIVS · CAMERINVS · MAGISTER · M
APONIVS · SATVRNINVS · C · VIPSTANVS
APRONIANVS · L · SALVIVS · OTHO · TITIA
NVS · T · SEXTIVS · AFRICÁNVS

Et lapidem hunc ab Vrsino editum *l. c.* pag. 216 habet ex eo Gruterus pag. CXIX n. 1. Marinius edit in *arvali* tab. XVI pag. 119, qui hunc quoque se diligenter ex autographo ait exscripsisse. Exhibet vero hoc pacto pleniorem aliquanto quam nunc apud nos exstat:

.... *XVIII. K. Iun.* ..
Magister nomine COLLEGII *Fratrum Arvalium*
Immolavit INCAPITOLIO · OB · NATALEM · NERO
nis Caesaris · AVG · GERMANICI · IOVI · B · M
Iunoni VACCAM · MINERVAE · VACCAM · FELICI
TATI · PVBLICAE · VACCAM · CONCORDIAE · VACCAM
GENIO · IPSIVS · TAVRVM · INCOLLEGIO · ADFVERVN̄
SVLPICIVS · CAMERINVS · MAGISTER · M
APONIVS · SATVRNINVS · C · VIPSTANVS
APRONIANVS · L · SALVIVS · OTHO · TITIA
NVS · T · SEXTIVS · AFRICANVS

Fuisse vero et aliquanto etiam plenior penes Vrsinum videtur: is enim 1 linea legit.... COLLEG. ADF..., lin. 3 dat NIS (non RIS), et post B. M. addit IVNONI nec lin. 4 initio lacunam agnoscit. Esse hunc superioris lapidis partem ex eo conjicit Marinius quod idem Sulpicius Camerinus arvalium magister (a. post C. 60) in utroque nominetur. Tertiae igitur columnae, quae in superiore lapide deest, partem in hoc haberi credit.

(114)

AIVS . . . . .
RVM .
INCOLLEGIO ADF *Verunt*
Sulpicius CAMERINVS · LSALVIVS *Otho Titianus*
*Sext*I O · AFRICA *No Consulibus*
IIII IDV*s*.....
*Ma*GISTER · COLLEGII · FRAT*rum Arvalium nomine immolavit.*
*pro itu et r*EDITV · NERON*is Claudii Caesaris Aug. Germanici*
*Iovi B.marem, Iunoni Vaccam, M*INERVAE · *Vaccam item....*
*ante dom*VM · DOM*itianam Dis Penatibus*
..... I N *Collegio adfuerunt....*
C. Vipstanus A *Pronianus, M. Aponius Saturninus*
Isdem Consulibus IIII . . . .
. . *Magister Collegii Fratrum Arvalium* ....
.... *in templo novo Divo Augusto Bovem Marem etc.*

Digitized by Google

Lapis, vel potius lapidis λείψανον, et ipsum Vrsini, a quo editum l. c. p. 219, repetitum postea a Grutero (pag. cxx n. 2), inde in Farnesianum museum illatum. Est Marinii tab. xvii *a arval.* p. 119 seqq. unde apparet decurtatum nunc esse in extrema sui parte idest a lin. 8 ad finem, quae sic leguntur pleniora apud Marinium:

... EDITV·NERONIS·CLAVDI·CA.......
....INERVAE · VACCAM · ITEM....
....VM · DOMITIANAM · DIS · PE....
....IN · COLLEGIO · ADFVERV....
....APRONIANVS · M · APONI....
C O S · III
....LEGII · FRATRVM · A
....O · DIVO · AVGV....
....

Notat vir summus, incertum esse annum, quo lapis hic positus, et mensem, anno tamen post I · C · 67 seriorem esse non posse, quo anno Sulpicius Camerinus, de quo in hoc lapide mentio, necatus est. Eumdem enim Sulpicium hunc esse arbitratur quem Dio ἄνδρα τῶν πρώτων vocat (lib. LXIII n. 18) et qui Asiae proconsul et anno post I. C. 56 accusatus atque absolutus (Tacit. *annal.* lib. XIII n. 52) capite demum damnatus est a. 67 (Dio l. c.). Vide quae de hoc Marinius idem docet pag. 99 et seq. Sed acute ac docte Borghesius vidit frustum hoc pertinere ad tabulam Marinii XIV, atque priore loco collocandum, ita ut praecedant quae jam dedimus, sequantur vero haec quae Marinio sunt XIV tabulae λείψανα:

. . . *Sulpicius* CAMERINVS·A·ⱻITELLIVS·C·VIPSTANVS·APRONIANVS
. . . *T. Sextius* AFRICANVS · COS
Isdem Consulibus III IDVS · DECEMBR
*Magister Collegii fratru*M · ARVALIVM · NOMINE · IMMOLAVIT · IN · SACRA · VIA
*ante domum Domitianam me*MORIAE · CN · DOMITI · AHENOBARBI · B · M
Adfuerunt M. Aponius SATVRNINVS · A · VITELLIVS · C · VIPSTANVS · APRONIAN
Sulpicius CAMERINV*s* · T · SEXTIVS · AFRICANVS · L · SALVIVS ·
OTHO · *Titianus*

IsdemConsulibusXVIII K · IANVAR
...*MagisterCollegiifratr*VM · ARVALIVM · NOMINE · IMMOLAVIT · IN · CAPITOLIO
*ob natalem Neronis Cae*SARIS · AVG · GERMANICI · IOVI · B · M · IVNONI · VACCAM
. . . .

Quae quum ita sint, patet lapidem integrum pertinuisse ad annum u. c. DCCCXII. Vide Borghesii dictata in *memorie della regale accademia ercolanese di archeologia* vol. v p. 119 seqq.

(115)

H O C *anno erit*
sac R I F I C I V M · *Deae*
DIAE
X V I K·IVN D O M I
X I I I I K·IVNINLVCOET·DOMI
X I I I K IVN D O M I
INCOLLEGIOADFVERVNT
L · SALVIVS OTHOTITIANVS
A · VITELLIVS · Q · TILLIVS
S A S S I V S
I S D E M · COS
V K · M A R T
*L. Sa*L V I V S · O T H O *Titianus*

Item Vrsinianum et ab eo editum loco saepius laudato pag. 118, et deinde apud Gruter. pag. CXIX n. 3. Exscripsit ex autographo Marinius atque edidit *arval.* tab. XVIII p. 126 et seqq. Neronianis temporibus, vel proxime sequentibus, tribuit Marinius: quum fratres quidam Arvales in eo memorentur, qui sub Nerone, et paullo post, vitam duxerunt. Insigne vero *ἀποσπασμάτιον* hoc praecipue quod de diebus, quibus Deae Diae feriae celebrabantur, quas *conceptivas* esse non *stativas* docet Marinius, summo viro disserendi occasionem praebuerit opportunissimam, e-deudique quantivis pretii feriarum latinarum tabulas (*arvali* pag. 129) emendatiores quam ab Odericio fieri potuerat (*syll. inscr.* p. 231).

(116)

*quod hodie vovi*MVS *ast tu ea*
*ita faxis, tunc ti*BI · IN EADE*m verba nomine*
*Collegii fr. arval. bove femina aurat*A VOVEMVS ESSE FVTVRV*m*
Minerva quae in verba Iovi opt.max.bove aurato VOVIMVS ESSE FVTVRVM QVOD
*hodie vovimus, ast tu ea ita faxsis, tunc t*IBI IN EADEM VERBA NOMINE
collegii fratrum arvalium bove femina aurata VOVEMVS · ESSE FVTVRVM,
*Salus Aug. quae in verba Iovi opt. max. b*OVE AVRATO VOVIMVS · ESSE FVTV
*rum quod hodie vovimus ast tu ea ita f*ACXIS TVNC · TIBI · IN EADEM VERBA
*nomine collegii fratrum arvalium bov*E AVRATA · VOVIMVS ESSE FVTVRVM
In Collegio adfuerunt *C · Vi*PSTANVS APRONIANVS · L · POMPO....

Haec quoque edita ab Vrsino in opere saepius laudato pag. 217 et deinde a Grutero pag. CXIX n. 3. Est Marinii tab. XIX, ac cum ipsis illustris viri supplementis dedimus, quorum rationem e tabula sua XXIV hausit. Apud Vrsin. legitur lin. 1 MVS, lin. 2...BI · IN · EADEM · VER... lin. 5....BA · VOVIMVS · ESSE · FVTVRVM, lin. 5 TIBI et NOMINE..FR....., lin. 6 VOVIMVS, lin. 9 AVRATA sine E, et sic quoque Marinius, lin. 10 L · POMPON... Sed quum marmor habeat lin. 9..E.AVRATA, supplendum *bov*E AVRATA non *bove femina* AVRATA ut fecit Marinius, et in extrema linea *Pomponii* nomen potius legendum cum Vrsino, quem Pompeji cum Marinio.

(117)

. . . .
IN · FORO . . . .
*Macci*VS · TAVRVS
*fratrem a*RVL · NOM*inaverunt*
L. Salvius Otho TITIANVS
. . NOMINE *Collegii fratrum arvalium*
*a*DFVER · *Otho Titianus*
. . C · VIPSTAN*us Apronianus*
*Iunoni Regi*N · VAC · MI*nervae vaccam*
Adfuerunt M · OTHO . . .
. . . .

E museo borgiano incertae aetatis hoc frustulum edidit Marinius *arvali* tab. XXI pag. 155. Idem linea 3 quae occurrunt sic supplet *a*RVAL*em* · NOM*inaverunt* litteris nempe VA monogrammate iunctis, quam rem marmoris ipsius firmat inspectio.

Digitized by Google

(118)

Columna prima.

*Cum Kalatoribus et Publicis Pueri riciniati ad a*RAM · RETVLERVNT
*IV Kal. Iun. Sacrum Deae Diae in l*VCO EIVSMAGISTERIO·TI̅TVTINI
*Severi ad Aram immolavit po*RCAS·PIACVLARES·DVAS·LVCOIN
*quendi et operis faciundi Ti. Tutin*IVS · SEVERVS · DEINDEM VACCAM
*honorariam albam idem Magister i*MMOLAVIT·AD FOCVLVM
*ibique Sacerdotes ex sac*RIFICIO·EPVLATI·SVNT·SVMP
*tisque praetextis et coronis spic*EIS·VITTATIS·LVCVM DEAE
Diae sumoto ascenderunt et PER · TI̅ · TVTINIVM · SE
*verum Magistrum et... Proflaminem Agnam Opimam imm*OLARVNT·PERFECTOQ
*Sacrificio omnes ture et vino fecer*VNT·DEINDE CORONIS
*inlatis, Signisque unctis, Lucium Pompeiu*M · VOPISCVM · ARRVN
*tium Catellium Celerem ex Saturnali*BVS · PRIMIS · AD · SA
turnalia secunda Magistrum et.. flaminem ·FECERVNT · IBIQVE
*praetextam deposuerunt: et in tetrast*YLO DISCVMBEN
*tes epulati sunt apud Magistrum Ti. Tutiniu*M·SEVERVM
acceperunt. . . . . ILE · ROSACEAM
Post epulas puer riciniatus Soleatus coronatus

Columna secunda.

SVMMOTO · SVPRA · CAR*ceres ascendit et*
SIGNVM · QVADRIGIS *Bigis, desultoribus misit*
PRAESIDENTE · L · POMPEIO *Vopisco Arruntio*
CATELLIO · CELERE · VICT*ores palmis et coro-*
NIS · ARGENTEIS · HON*oravit*
ADFVERVNT · INCOLLEGIO · *Fratrum Arvalium Mag. Ti.*
TVTINIVS · SEVERVS · TI̅ · *Iulius Candidus Ma-*
RIVS · CELSVS · A · IVLIVS *Quadratus, L. Vera-*
TIVS · QVADRATVS · L · POM*pejus Vopiscus*
ARRVNTIVS · CATELLIVS · *Celer . . . .*
NVS · P · SALLVSTIVS · BLAES*us, L. Venuleius*
MONTANVS · APRONIANVS, *C. Salvius Libe-*
RALIS · NONIVS · BASSVS
EADEM · DIE · ROMAE · APVT · MAGI*strum Ti. Tutini-*
VM SEVERVM · IDEMQVE · IN
III KIVN · INDOMO · APVT · MAG · TI̅ · *Tutinium Severum*
FRATRES · ARVALES · ADCONSVMMA*ndum Sacrificium*
DEAE · DIAE ET INTER CENAM *ture et vino fecerunt. Adfuerunt*
TI̅ TVTINIVS SEVERVS MAG · TI̅ IVLIVS *Candidus Marius*
CELSVS · A · IVLIVS · QVADRATVS · L · *Veratius Quadratus.*

Primus e museo Borgiano veliterno edidit Marinius *arval.* tab. XXV p. 306 seqq. et ad Domitiani tempora ea de caussa refert, quod sacerdotes, qui in hoc marmore nominantur, ea vixisse aetate ex aliis constet. Notandus in col. 1 lin. 4 quadratarii error, qui DEINDEM scripsit pro DEINDE, ut recte dedit mox lin. 10: vide Marinium pag. 310. Lin. 14 abruptam priorem vocem sic exhibuit Marinius.... VIO, e qua tamen tetrastYLO effecit. In marmore litterarum λείψανα hanc speciem praebent... IIO, quae sane possunt haud invita ad Marinianam trahi

lectionem. Lin. 16, in abrupta voce, quae ROSACEAM praecedit, acute Marinius pag. 316 SUTILE vel PACTILE latere suspicatur: quo tamen pacto ea vox cum sequente convenire possit, non vidit. Nos SUTILE vel PACTILE poni hic opinamur pro *sutilem* vel *pactilem*, orthographia in veteribus inscriptionibus obvia, qua M in fine supprimebatur, quod contra alibi abundat, ut in ea, de qua modo loquuti sumus, voce DEINDEM. Sic plane in salernitana inscriptione apud Gruterum p. MCXLVIII n. 17: HVIC · TVMVLO · POSVIT · ARDENTE · LVCERNAM. De coronis sutilibus ac pactilibus confer eumdem Marinium. Notandum denique post lin. 16 nullius praeterea lineae vestigia apparere: itaque erravit Marinianus typotheta, qui lin. columnae hujus 17 sic exhibet: *Post epulas Puer riciniatus* soleatus coronatus; quasi extremae hae duae voces in marmore essent. Nos viri summi restitutionem lin. 17 retinuimus, sed integram eam italico charactere dedimus, ut moneretur lector nullam esse ejus nec vocem nec litteram in marmore conspicuam.

Columnae II lin. 1. Perperam Marinius habet SVMOTO, quum lapis manifesto SVMMOTO praeferat: vide de duplice hac orthographia vocisque ipsius significatione ejusdem Marinii pag. 280. Lin. 2 post vocem QVADRIGIS marmor τοῦ E potius quam τοῦ B vestigia videtur exhibere: quare etsi alibi (*arval.* tab. XXXVI) manifesto QVADRIGIS BIGIS etc. legatur, hoc fortasse loco aliud nescio quid latet: an fortasse SIGNVM QVADRIGIS E*mittendis*? quam lectionem in Lampridio (*Commod.* cap. 8) contra Casaubonum tuetur idem Marinius (*arval.* pag. 283). Bigarum tamen mentionis hoc loco omissae caussa latet.

(119)

In Pronao aedis Concordiae
F r a t r e s   A r v a l ES · SACRIFICIVM *Deae Diae indixerunt*
. . . . QVOD BONVM FAVSTVM *felix fortunatum*
salutareq. sit Imp. Caes.
M. Aurelio Aug.
Tr. Pot. etc. et L. AVRELIO VERO · AVG · TRIB · POTESTA
Sacrifici VM SOLLEMNE DEAE DIAE · HOc *anno erit....*
Kal. Iun. domi
... *Kal. Iun. domi consum* MABITVR · ADFVERVNT · AVIT*ianus etc.*

I S D E M *Consulibus*

. . . . IDIVN . . . . .

Editus ab Vrsinio in notis ad Columellam, pag. 221, deinde a Grutero pag. CXXI n. 3. Legit et emendatiorem ex ipso marmore dedit Marinius *arvali* tab. XXXI pag. 350 et seqq., qui eo exemplo utitur opportunissimo ad confirmandam adversus Norisium vocis SOLLEMNIS orthographiam. In extrema linea.... *Iunias*, vel in *Pronao* legit Marinius, sed manifesta sunt, quae dedimus, λείψανα... IDIVN.

(120)

Columna prima.

. . . . OAIN
cum synthesibus epulati sunt apud T. Fl. Sulpicianum PROMAG*istrum*
*Post epulas rici*NIAT SOLIATVS CORONAT*us*
. . . . *summot*O SVPRA CARCAR · ASCEND
it et signum quadrigis, bigis, desultoribus MISIT PRAESIDENTE ANTO
*nio Iuvene, victores palmis e*T CORON ARG HONORAV*it*
*Adfuerunt in Collegio Fl. Sulpicianus pro m*AG ANTONIVS IVVENIS
. . . . **II · K · IVN**
In domo apud Promag. Fl. Sulpicianum fratres ARVAL CONVEN AD SACRVM
*Deae Diae consummandum ibiq*VE INTER CENAM · FL · SVL
picianus Promagister . . . . . . *fl*AM LICINIVS NEPOS DIS
*cumbentes tor*AL · ALBIS TVRE ET VINO
fecerunt, ministrantibus pueris PATRIMIS ET MATRIM*is*
. . . .

Columna secunda.

Pr. Kal. Sept.
IN CAP*itolio ob natalem Imp. Caes. M. Aurelii Commodi Antonini*
PII · FEL · AVG*usti*. . . . .
PP FRATR ARVA*les immolarunt Iovi O. M.*
BOVEM MAREM, *Iunoni* etc., *Sa-*
LVTI VACCAM. . . . . *Genio ipsius*
TAVRVM. . . . .
IN PRON*ao Aedis Concordiae*. . .
BITI. . . . .
FRATR*es Arvales* . . . . *An-*
TONI*us Iuvenis*
C · SAB . . . . *Consulibus*
IN . . . .
C . . . .
. . . .

Primus edidit Marinius ἀνέκδοτον e borgiano museo, *arval.* tab. XXXIII tom. II p. 427 seqq., docuitque e fratrum, quae in eo leguntur, nominibus ad Commodi tempora pertinere. Hujus vero marmoris occasione de *consulibus*, quos *municipales* quidam vocabant, disseruit praeclarus interpres, ostenditque notas quorumdam lapidum COS · M · V *consulem magnificum virum*, non *consulem municipalem* indicare. Qua de re vide quoque Clementem Cardinalium in *memorie romane di antichità* tom. III pag. 53, 54 et *diplomi militari* p. 518.

Columnae 1 lin. 2 fere nunc tota deleta praeter extremas litteras PROMAG. Legit Marinius...... TFI · SVLP · N · PROMAG unde effecit: *T. Fl. Sulpicianum promag*istrum — Lin. 4 manifesto marmor habet CARCARes pro *Carceres*, de qua orthographia vide Marin. pag. 281 — Lin. 13 fere detrita — Columnae 2 lin. 2 nihil praeter PII · FEL · AVG · vidit Marinius. Videntur tamen in marmore sequi vestigia harum litterarum SA... quibus an *Sarmatici* titulus indicetur definire non audemus. Constat quidem eum titulum Commodo delatum, sed in numis

praecedit fere GERM. Vide Eckhel. *doctr.* tom. VII pag. 104 seqq. Et, quod gravius est, non videtur Sarmatici titulo Commodus in numis usus post patris obitum. In hoc vero marmore quum PIVS et FELIX dicatur, patet illum M. Aurelio jam defuncto scalptum; nam anno tandem post Chr. 183 PIVS, et anno 185 PIVS FELIX dici cepit. Vide Eckhel. l. c. Quum tamen Commodus in alio Arvalium marmore, quod est Marinii tab. XXXIII, et spectat ad annum post 1·c· 183 et 184, PIVS SARMATICVS diserte dicatur, et PIVS FELIX quoque in inscriptione ejusdem anni 183 (apud Tillemontium sub Commodo art. 2) videtur et hic Sarmatici mentio admittenda. Vide doctissimum Marinium pag. 556.

(121)

*Qua*DRATVS PROMAG*ister*.....
VALERIVS IVNIANVS · S.... *Conss. VI (vel XVI) K. Iun.*
IN PALATIO · IN · DIVORVM *Fratres arvales convenerunt ad peragendum*
SACRVM · DEAE DIAE · IBI*Que inter cenam*
HERENNIVS ORBIAN*us... ture et vino fecerunt ministrantibus*
PVERIS PATRIMIS ET · *matrimis, Senatorum filiis et cum publicis et Calatori-*
IBVS BVS · PVERI RCINIA*ti fruges libatas ad Aram retulerunt, deinde in mantelis canipas*
CO*ntigerunt, quas per Calatores domibus suis miserunt.*

Editus ab Vrsinio in saepe laudatis notis ad Catonem etc. pag. 221 a quo habuit Gruterus pag. CXXI n. 1. Exscripsit Marinius in aedibus farnesianis, atque edidit arvalium tab. XXXVII pag. 495 seq., monens eo se loco collocare, propter Valerii Iuniani mentionem, qui occurrit et tabula sua XXXV. Bene autem explodit Marinius vitiosam Vrsinii lectionem, qui contra lapidis fidem edidit PROTOMAG*ister*, quae vox deinde est in forcellinianum lexicon recepta, unde tamen nuper exulare eam jussit cl. Furlanettus. Notandum lin. 7 τὸ RCINIA*ti* (*sic*) quod sic exhibere neglexit Marinius.

(122)

. . . .
*Pr. non. Apr. in Capitolio ob Natalem Imp. Caes. M. Aur.*ANTO*nini etc. immolavit*
Iovi etc. . . . . . *Fe*LICI *t* AVG B F *auratam Genio ipsius Taurum etc.*
In Collegio adfuerunt. . *Ag*RIPPINVS P AEL*ius Coeranus Iunior*
. . . . . . Co*RNEL* PVBLIC A COMM*entariis*
*In Capitolio ante cellam*IVN REG FRATR ARVAL*es convenerunt etc.*
Quod Imp. Caes. M. AVRELLIVS ANTONINV*s Pius. Fel. Aug. Ger. max.*
Brit. max. pont. max. Trib. Pot. XVI IMP III COS IIII PROCOS *Pater patriae*
. . . . . . *s*ALVVS SERVATVS SIT *Iovi etc.*
Genio Antonini Aug. Taurum auratum IVN IVLIAE AVG *Bovem feminam auratam*
*Adfuerunt in Collegio C. Sulpici*VS POLLIO P AELIVS CO*eranus Iunior*
. . . *Primus Cornelian*VS PVBLIC A COMM*entariis*
In Capitolio ante cellam Iun. REG F*ratres Arvales*
. . . .

Ab Vrsinio quoque primum editus in notis *ad Columellam* etc. pag. 222, inde a Grutero pag. CXXII n. 1. Vidit in museo Borgiano Marinius, atque ex autographo descriptum edidit arvalium tab. XXXVIII pag. 497 seqq. Ad Caracallae tempora spectare, pro quo facta sacrificia memorantur, idem docuit. Quod lin. 6 legitur

AVRELLIVS pro AVRELIVS exemplis abunde illustravit Marinius, quibus facile superaddas quae ex aliis quoque suppetunt. Vide e. c. *giornal. arcad.* tom. xv p. 53, Cardinali *iscriz. velit.* pag. 101, Gervasium *iscriz. sipont.* pag. 8, Avellinii *opusc. div.* tom. III p. 181 seq., Giovenazzi *Aveja* pag. 25, Gruter. pag. DCCLXXXVI n. 5 etc. Sic et PHILIPPVS legi videtur in militari tabula connubii, quae nunc in museo bavarico asservatur, et quae frustra a Starkio in *νοθείας* suspicionem adducta est. Vide Grotefendium in Zimmermanni *Schulzeitung* anni 1834 pag. 359, et cl. Arnethi *Zwölf Römische Militär Diplome* pag. 8, quamquam in ejus tabulae apographis dissimuletur ea scribendi ratio. Vide *Musei Veronensis* pag. CCCXXV, et ipsum Marinium *arval.* pag. 468. Quae de tribuniciis Caracallae potestatibus docuit Marinius, ad nostrae hujus inscriptionis lin. 7, Mazzolenii et Toinardi vestigia praecipue sequutus, non plane probantur Cardinalio (*dipl. milit.* pag. 261 seq.), cui videtur Caracalla ad Severi exemplum vel prima vel saltem septima januarii die tribuniciam potestatem iterasse. Qua de re confer quoque, si vacat, quae scripsit Avellinius *opusc.* t. III p. 185 seqq. Sed plane legenda quae de his Caracallae tribuniciis potestatibus notavit Fea *frammenti di fasti consolari* pag. CXIX et seq. — Lin. 8 legi ait Marinius..... IA · IVN · IVLIAE etc.: itaque e prioribus illis elementis TA effecit, quod *taurum auratum* explicuit: sed plane in marmore non IA sed ΛI legi videtur, λείψανα nempe vocis in VI desinentis, quam suspicari quis possit fuisse *Iovi*, nisi vetaret harum tabularum usus, quae primum Dei nomen inde victimam indicant. Quare aliud quid exsculpendum videtur. Lin. ult. quae supra e Marinio dedimus, sunt plane incerta. Litterarum ductus in marmore hi fere esse videntur VRFOTI... Lapidem exhibemus tab. II. f. 2, ubi et praecedentem n. 121, fig. 1 editum videas.

(123)

. . . .
. . . . . . *Mess* ALLA ET SABINO COS
*In Capitolio f*RATRES ARVALES CONVENERVNT AD *vota nuncupanda*
*quod Dom*INVS N IMP CAES MAVRELLIVS ANToNINVS PIV*s f. Aug.*
*Brit. Ma*X PMTP XVIIIMP III COS IIII P P PROCOS SAL*vus atque incolumis*
*pro securitate provin*CIAR FELICISSIME AD IBERNA NICOMEDIAE ING*ressus fuerit*
. . . . O PROMAG VICE M IVLI GESSI BASSIAN MAG*istri*
. . . *bovem* ASALVTI IMP ANTONINI B F A FORT DVCIS *exercitus bovem etc.*
. . *Lari V*IALITAGENIO ANTONINI AVG TA IVN IVLIAE *Augustae bovem etc.*
. . . . SVLPICIVS POLLIO P·AELIVS COERANVS IVN N. . . . . .

*Piaculum factum ob fe*RR INFEREND
*agna*M ET PORCIL*ias*
*piacula*Res

PIACVLVM FACTVM. . . . *ob*
FERRI EFFER PER *Kalatorem*
ET PVB*licos Fratrum Arvalium*

Hoc quoque ab Vrsinio editum marmor in iis, quas saepe laudavimus notis, pag. 223, exscripsit Gruterus pag. CXXII n. 3, edditque Marinius *arval.* tab. XXXIX p. 508 seq. Patet e titulis 4 linea adscriptis hoc marmor ad Caracallae tempora pertinere, anno nempe post Christum natum CCXIV. Quin opinatur Marinius hoc et praecedens marmor unius esse ejusdemque tabulae λείψανα, atque ambo ad unum eumdemque annum, vel saltem ad duos inter se proximos pertinere. Consules Messalla et Sabinus qui lin. 1 memorantur, et in aliis inscriptionibus et in fastis, suppresso praenomine, ac gentis nomine, occurrunt, et sic quoque in bovillensi inscriptione in qua MAGISTERIA SOD... CLAVDIALIVM AL... indicantur. Vide *memor. rom. di antich. e belle arti* t. II pag. 307, 309. Quae extrema linea vidit Marinius, vix apparent in marmore, quod exhibemus tab. II. f. 3.

(124)

Adfuerunt . . . .
III. . . . .
[SAENIVS · DONATVS · L FABIV]S,FORTVNATVS VII · ID · NOV. . . . .
[FRATRES ARVAL · IN · LVC D · D] VIA · CAMP · APVD LAP · V · CONV · PER · C · PORC · PRISCVM
[MAG · ET · IBI · IMM·QVOD · VI T]EMPESTAT · ICTV FVLMIN ARBOR · SACR · LVCI · D · D · ATTACT*ae*
[ARDVER · EARQ · ARBOR · ERVE]NDAR · FERR · PENDENDAR · ADOLENDAR · COMMOLENDAR ·
[ITEM · ALIAR · RESTITVENDAR] · CAVSA · OPERISQ · INCROANDI · ARAE · TEMPORAL · SACR · D · D ·
[REFICIEND · EIVS,REI · CAVSA] LVSTR · MISS · SVOVE · TAVRILIB · MAIOR · ITEM ANTE AED ·
[D · D · B · F · A · IVNCT · N̄ · II · ITEM] (ADAR , TEMPOR , DI)S INF · S · S IAN PATR · ARIET · II · IOVI VER
[BEC · II · MARTI. PATRI · VLT · A] (R, N̄, II, SIVE DEO SIV , DE) AE · VERB · II · IVN · D · D · OV · N̄ II)
[VIRGINIB , DIV , OV , N̄ · II FAM] (DIV , VERB , N̄ II LARIB , VERB , N II) MATR · LAR · OV · N̄ II)
[FONT VERB N̄ II FLOR OV] (N̄ II SVMMAN PAT , VERB , ATROS , II , VESTAE , MATRI OV , II)
[VESEOR · DEOR · DEORQ · OV] (II · ITEM , ADOLEND , COINQ , OV , II , ET ANTE CAESAR GENIO)
[D · N̄ · SEVERI · ALEXANDRI] (AVG , T , A , ITEM , DIVIS , N , XX , VERBEC , XX)
[IIII · ID · DEC · FRATRES · ARVAL] , I (NLVCO , DEAE DIAE VIACAMPANA APVD , LAP , V , CONVENER)
[PER · C · PORC · PRISCVM , MA] (G , ET , IBI , IMMOLAV , QVOD , AB ICTV FVLMINIS ARBORES LVCI)
[SACRI · D · D · ATTACTAE · ARDV] (ERINT EARVMQ ARBORVM ADOLEFACTARVM ET COINQVEN)
[DARVM ET IN EO LVCO SACR] (OALIAESINT REPOSITAE ET , ARAE TEMPORAL , REFECTAE FERRI)
[EFFER · RVIVS · OPER · PERFE]C (TI , CAVSA , LVSTRVM , MISSVM SVOVETAVRILIB , MAIORIBVS ,)
[ET CETERA · Q · S · ADFVER] (P , AEL , SECVNDINVS T , FL , ARCR*e*SILAVS M FAB , FORTVNA)
[TVS · M · SAEN · DONATVS]
[FVSCO · II · ET · DEXTRO · COS XI] (III K , MAI , INLVCO DEAE DIAE , *P* , F , MAG , L , PORCI , PRISCI , OB)
[FERRI · INLATIONEM · SCRIP] (TVR , ET , SCALPTVR , MARMOR , CAVSA , IMMOL IPSO MAG ,)
[PORCAM ET AGNAM · STR] (VIB , EFFERTIS , ET , EXTAS , REDDID , ADARAM MINISTRAN)
[TIBVS · PVBLIC ET PRELEN] (TIBVS , A SACR D , N̄ AVG , ITEM , IMMOLAVIT , OBFERRI)
[ELATIONEM SCRIPTVRAE E] (T SCALCTVR , ET OPERIS , PERFECTI , III , NON , MAI ,)
[PER · PORC PRILOLOGO CAL] (AT , ET , PER , PVBLIC FRATR , ARVALIVM ,)

. . . .
. . . . PTIM . . . .
. . . . NINV . . . .
. . . .

Ex hoc marmore quao adhuc Neapoli supersunt ea sunt quae uncis hac forma ( ) dedimus inclusa. Quae praecedebant, uti et nonnulla ex iis, quae sequebantur, abrupta erant jam ac deperdita quum Marinius Romae transcripsit in priveti cujusdam aedibus. Edit is *arval.* tab. XLIII pag. 676 seqq. narratque transcripti a se marmoris partem in casertanum Francisci Danielii museum deinde receptam esse, e quo nempe cum ceteris ejus musei lapidibus in regium nostrum est illata. Cl. vero Feae adeo felici esse obtigit, ut abruptam marmoris portionem, tantum non omnem, recuperare serius potuerit, atque emendatiorem aliquanto quam Marinius dederat, edere in *frammenti di fasti consolari* n. 44 p. LX seq. Nos ejus lectionem sequuti uncis [ ] hac forma ea inclusimus quae apud cum leguntur. Itaque ea tantum marmoris pars, quae in nostro ἀπογράφῳ uncis omnino caret, deperdita latere adhuc videtur archaeologos. Totum vero ἀποσπασμάτιον Romae *non dudum* effossum affirmavit Scaliger in notis ad Festum, a. 1574 editis, *ad v. conquirere*, neque alium esse ex arvalibus lapidem magis quam hic celebretum passim atque illustratum docet Marinius, omnes qui ante eum ediderunt atque illustrarunt, diligentissime commemorans. Fuisse ὀπισθόγραφον apparet e litteris uncialibus quae in altera facie occurrunt, e quibus Septimii atque Antonini nullo negotio nomina eliciuntur. Peculiaris forma litterarum A G L M N quam nostrae tab. 1 fig. 6 exhibuimus. Illud quoque singulare occurrit in nostro hoc marmore quod R loco H adhibeatur lin. 5, 17, 18, 24, qua de re pete quae dat Marinius ipse p. 681, qui recte quoque monet tabulam hanc sacrificia nonnulla expiatoria memorare, quae in luco Deae Diae facta sunt novembri et decembri mense a. post Chr. nat. CCXXIV *quod vi tempestatis ictu fulminis arbores attactae arduerint*, et solita piacularia *ob ferri inlationem scripturae et scalpturae marmoris causa.*

Ceterum monuit Fea etiam in Ligorii manuscriptis tabulam hanc exhiberi, in quibus et de templo Arvae, ut eit, Deae in via Vitellia portuensi III ab urbe lapide, ubi arvalium marmora ait reperta, statuisque, quae ibi erant, fit mentio: quibus figmentis haud veretur cl. Fea fidem non abnegare, etsi memoret quoque e Turrio (*monum. vet. Antii* p. 94) alios arvalium lapides anno 1699 repertos in via campana inter Appiam et Latinam: quapropter duo arvales templa inter se diversa habuisse colligit. Notat quoque lin. II legisse se NEOR · NEORQ uti Vrsinius (in notis *ad script. rei rust.* pag. 120) et Manutius (in not. *ad Ciceron. de amicit.* pag. 206) dederunt, pro quo Marinius recepit DEOR. DEARQ. Notat denique consules Fuscum et Dextrum pertinere ad ann. u. c. DCCCCLXXVIII, post Chr. nat. CCXXV, deque iis ad Relandi fastos (p. 153 segg.) amandat. Lapidem hunc integrum dedit quoque nuper Orellius *Sylloge* n. 961.- Lin. 21 Marinius edit XIII K MAI ex Vrsinio, Pighio, Manutio (Manutius tamen habet XIIII); monet vero apud elios legi XIIII, remque in medio relinquit. Noster lapis ostendit.... III K MAI, quibus, nisi fallit Feao ἀπόγραφον, preecedebat XI. Itaque XIIII non XIII esset legendum. Sed turbat nonnihil, quod prima quae superest apud nos numeralis nota, ceteras aliquanto superet, quod nescio an secundo I potius quam primo post X convenire possit. Facilius enim XIII quam XIIII admiseris. Quod si tanti est, potuit in Feae ἀπογράφῳ XI... pro X... perperam describi. - Lin. 25 noster lapis habet SCALCTVR manifesto lapicidae errore, quem jam vidit Manutius, sed notare neglexit Marinius, quum tamen supra lin. 22 recte dederit SCALPTVR.

Digitized by Google

(125)

Isdem Consulibus. . . . . Idus Ian.
In Capitolio in Pronao Aedis Concordiae, adstantibus Fratribus Arvalibus
. . . . *Magister velato capite Sacrum Deae Diae*
indixit Fratribus ARVAL⁊ DIC *Quod bonum faustum etc. sit*
*Imp. Caes. M. Aur. Seve*RO ALEXANDRO ⁊ *Aug. Pont. Max* ⁊ *Divi*
*Magni Ant*ONINI⁊ P⁊ F⁊ DIVI⁊ *Severi Nepoti et Iuliae Mamaeae*
augustae m ATR AVG N ET CAS*trorum et Senatus et Patriae*
totique domui D⁊ EORVM S⁊ P Q⁊ R *Quiritibus, Fratribusq. Arvalibus*
*Sacrificium Deae Diae h*OC ANNO ERIT AN D *XVI (vel VI) K. Iun. domi*,
ante diem XIV (vel IV) K IVN⁊(in)LVCO ET D*omo, ante diem XIII* (*vel III*)
K. Iun. domi. Adfuerunt

Erat apud Vrsinium, qui eum aliis edidit (*not. ad Colum.* p. 223) et e quo habuit Gruterus pag. cxxii n. 4. Vidit Marinius in borgiano museo Veliterno deditque *arval.* tab. xlv p. 703 seqq. Ad Alexandri Severi imperium pertinuisse patet, sed annus incertus.

(126)

. . . .
N I. . . . .
VI ⁊ ID*us* (*Augusti*) *in Capitolio an-*
TECELLAM ⁊ IVNONIS *Reginae vota annua nuncupata*
IN ⁊ III ⁊ NON ⁊ IAN ⁊ QVAE *proximae populo Romano Quirit. erunt.*
ITEM ⁊ DECENNALIA ⁊ SVS*cepta pro salute*
ET INCOLVMITATE ⁊ IMP. *Caesaris M. Antonii*
GORDIANI ⁊ PII ⁊ FELICIS ⁊ A*ug*. . . . *Fratres Arvales*
CONVENERVNT ⁊ PER ⁊ M ⁊ A. . . . . *Magistrum*

Et hoc ab Vrsinio editum (l. saepius laudato pag. 222), a Grutero repetitum pag. cxxii n. 2. Marinius exscripsit Romae in aedibus farnesianis, unde Neapolim translatum, ediditque *arval.* tab. xlvi p. 704. Nos lapidem damus tab. ii fig. 4. Ad Gordiani imperium pertinere patet; atque ex initis a Marinio rationibus ad anni post Christ. nat. ccxxxviii augustum mensem. Desinunt in Gordiano fratrum arvalium, quae aetatem tulerunt, acta. Desinunt et in eo honorariae inscriptiones imperatoribus ab arvalibus positae. Videtur ergo circa ea tempora sodalitium illud defecisse. Vide quoque Orellium p. 388.

(127)

...S › M › L › PHILEROS
...VSTALIS
... EDEM › VICTORIÁE · AVGVSTAÉ · CVM · COLLEGÁS ›
... DEDICÁVIT · POPVLO › ET · PROTECTA ›
... IDEM › SVÁ · PEQVNIA · AEDIFICAVIT › ET ›
... IDEM · CRVSTVM · ET · MVLSVM · POPVLÓ ›

... OLVNTATEM › PRAESTI › PRORESATIS · VALÉ ›
... M › L › ATTICVS › AVGVSTAL (mon.)

Fragmentum ἀνεκδότον videtur atque incertae originis. Argumentum lapidis suapte sponte patet, unde nempe Phileroten M. libertum Augustalem aedem Victoriae Augustae (aedificasse) et dedicasse, item *protecta* (cujus tamen aedificii incertum) sua pecunia aedificasse, et mulsum et crustum populo dedisse constat. Augustales ceteros Victoriae Augustae item devotos conf. apud Gruter. pag MLXXV n. 6, 7. *Protecta* hic dicuntur, ut et alibi saepe (vide lapidem apud Amadutium *anecd. litt.* vol. IV p. 519, aliumque apud Murator. pag. MDCCLV n. 2, leg. 5 §. 6 tit. 3. lib. IX *digestor.* etc.) quae alibi *protectus* (vide leg. 41 tit. 2 lib. VIII *digestor.*) et *protectiones* quoque (in epigr. tit. 2 lib. XXXIX *digestor.* conf. Brissonium *de verb. signif.* tom. 2. p. 1140 in v. *protectum* [a]). De crusto et mulso solemnibus quibusdam dedicationibus populo datis frequens et in ceteris inscriptionibus est mentio. — Lin. 3 *cum collegas*, exemplo ἀνεπιστατωσίως non infrequenti. Sic in Pompejana parictina CVM · DISCENTES : Vide notata in *memorie della regale Accademia Ercolanese* vol. III p. 154 et seq., quibus addendum hujusmodi ἀνεπιστατώσεις apud scriptores quoque obvias jam a doctissimo Mazochio peculiares dici ἰδιωτικοῦ sermonis stylique simplicissimi : vide ejus *epistolam de dedicat. sub ascia* pag. 63. Singularis vero praecipue est nostri lapidis clausula......OLVNTATEM · PRAESTI · PRORESATIS · VALE. In qua patet scalptoris errore, vel potius e recepta quadam consuetudine (nisi et hic peculiarem ἰδιωτισμόν suspicari velis) PRAESTI pro PRAESTITI exhiberi, syllaba nempe omissa, cujus omissionis abundant exempla, et in ipsis gruterianis indicibus sunt collecta pag. XCIV. Simili modo RESTVTVS saepe pro RESTITVTVS. Vide Orell. ad num. 2705. Videtur vero hic fuisse abruptae clausulae sensus, ut nempe praestitum quid dicatur non secundum voluntatem, quae majora dare cupiebat, satis tamen pro re (praestantis nempe exigua facultate), plane ut illud Muratorianae inscriptionis pag. MCCCXXXV n. 7. QVALEM · PAVPERTAS · POTVIT · MEMORIAM · DEDI: et Gruterianae pag. DCCCCLXXXXIIII n. 3. PRO · MERITIS · PARVM · PRO · FACVLTATE · SATIS. Quae in memoriam revocant Virgiliana illa *bucol.* ecl. VII v. 33. seqq.

(a) Eodem fortasse significatu PROTECTOR in Gruteriana inscriptione p. DCCXCIV, n. 12; conf. DCCCXVI, n. 5; quod Scaliger in *indic.* *Protectorium* interpretatur.

Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis
Expectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si foetura gregem suppleverit, aureus esto.

Quae cum ita sint, videtur haec epigraphe sepulcralis esse, et ab......... M. L. Attico augustale in honorem Philerotis posita. Itaque hujus nomen ac merita praemittuntur. Additur praestiti (praestandi vox est sepulcrali etiam officio indicando propria; cf. Gruter. p. DCCXXXIII n. 12 etc.) non secundum voluntatem, satis tamen pro re. Clauditur vero inscriptio non insolito illo in funebribus elogiis VALE, et subscripto collegae, qui memoriam posuit, nomine.

(428)

...VR . IOVIS . V
\ESTAS · EX . XI . K . MAI
IN . X . K . AVGVST LVNAI
DIES . LXXXXIIII
NVNDINAE
.AQVINI
. INVICO
.INTERAM ·
.MINTVRN
. ROMAE
. CAPVAE
. CASINI
.FABRAT
HIEMPS . EX . X . K . NOV
IN . XIIII . KAL . FEBRAR (*sic*)
DIE VIIII

Circulorum contextus, ac cyclomata, quorum formam exhibemus in tab. II *fig. 5. In iis numeri apparent* VII, ..II ·XIII, ·XVII, XII, ·XXIII, XVI.

Fuit illustre hoc fragmentum apud Fulvium Ursinum, aliquanto tamen integrius, si fides Gruteriano apographo pag. CXXXVI n. 1., quod in prima linea dat

VR · IOVIS · VENER

et infra LVNAR. Sic de ejus editoribus habet Saxius (*praefat. ad Waassenii* animadv. in fast. sacr. p. XX). *Frustum Kalendarii, Romae, apud Fulvium Ursinum, quod ipse Fulv. Ursinus edidisse videtur in* Kalendario Rustico, Romae 1587, 8, *tum a Leon. Gutenstenio habuit Gruterus* CXXXVI, 1, inde *Neapolis in limine* anaptyxeos ad fastos Ovidii, et *I. Georg. Graevius* in thesauro antiq. rom. tom. VIII p. 31, 32. Fallitur tamen Saxius, quum ab ipso Ursino primum editum putat a 1587. Nam in eo opere, quo saepius usi quoque sumus in *arvalium* lapidibus illustrandis, et cujus haec est epigraphe: *Notae ad M. Catonem, M. Varronem, L. Columellam de re rustica, ad Kalendar. rusticum farnesianum et veteres inscriptiones fratrum arvalium: Iunius Philargyrius in Bucolica et Georgica Virgilii notae: ad Servium in Bucol. Georg. et Aeneid. Virgil.: Velius Longus de orthographia: ex bibliotheca Fulvii Ursini. Romae in aedib. S.P.Q.R. MDLXXXVII.* lapidem hunc Ursinus nec edit, nec memorat omnino. In fronte ἀναπτυξέως Caroli Neapolis ad Ovidii fastos (editione utimur Panormitana a. 1755.) non modo aeri incisum hoc frustum exhibetur, sed et annotationibus illustratur, quarum huc summa redit: priorem nempe lineam sic supplendam *Satur. Lunae. Martis. Merc*VR · IOVIS · *vener* (in Grutero est VENER, quod nunc abruptum): ita ut pateat prima illa linea hebdomadis dies indicari: sequentes voces LVNA*res* NVNDINAE inter se conjungendas, ac eas significare nundinas, quae statis lunae temporibus fiebant in coloniis vel municipiis Romanorum, et locis quae enumerantur · AQVINI
· INVICO etc.
dies vero in quibus lunae phases fiebant, notari in eo schemate, quod in medio marmoris, seu umbilico videtur,

Digitized by Google

quod injuria temporis fractum est: in ea, quae deest ad sinistram marmoris parte superius veris, inferius autumni initia notari debuisse hoc nempe modo, VER · EX · XIII · K · FEBR · IN · X · K · MAI · DIES · LXXXXI, et AVTVMNVS · EX · IX · K · AVG · IN · XI · K · NOV DIES · LXXXXI: supplendum in fine marmoris numerum hiemis dierum LXXXVIIII, atque colligi hinc totius juliani anni dierum numerum CCCLXV: notandum denique in vetustissimo, ut ibi dicitur, hoc Kalendario, quod quatuor tempestatum initia anticipant: nimirum ver incipit die XX januarii: aestas die XXI aprilis: autumnus die XXIV julii: hiems die XXIII octobris: quae initia neque cum aliis vetustis Kalendariis neque cum nostris concordant: eaque de causa Neapolim ipsum in *anaptyxi* ad Ovidii Fastos lib. V num. 208. v. 601. p. 246 conjecisse in hoc Kalendario vel mensium nomina falso sculpta, vel XI Kal. Mai esse hujus diem XXII, et ejusdem Augusti diem esse X Kal. Augusti: *nam dementia est cogitare* (addit Neapolis), *voluisse aliquem initium aestatis conjicere in diem* XXI *Aprilis*, *quum ver alicui bipartitur.* Ceterum in frusto hoc marmoreo dilucidando operam posuisse invenimus et Erycium Puteanum eumdem, a quo primum Caroli Neapolis postumum *anaptyxeos* Ovidianae opus in lucem est prolatum, quin tamen de ipsius Neapolis sententia, ceterisque quas memoravimus adnotationibus, injiceret mentionem. Haec enim leguntur in Puteani libelli de *nundinis romanis* inserti graeviani thesauri tomo VIII pag. 641 seqq. capite 26 (pag. 682 seqq.): esse nempe ut *diebus* solis nundinas, quod e vetere inscriptione eruit, sic et *lunares nundinas*, quod ex Ursiniano hoc frusto colligit, cujus et figuram edit, aitque in ejus meditullio schematismi esse partem, circulis suis et cyclomatis quemdam quasi labyrinthum insinuantem, numeris lunaribus inscriptum. Mox subdit: *plenam vero explicationem assequi difficile est, praesertim cum numeri circulis inclusi suspecti sint, qui lunae videntur rationem continere.* Ut cetera vero praetereamus, in quibus nihil videtur Puteanus iis addere, quae supra monuimus, illud sane notatu dignum quod aestatis tempora sic statuit: *sole nimirum ingrediente* δωδεκατημόριον *Tauri*, *ad finem usque Cancri et principium Leonis: quod tempus Solinus refert suo aevo in* X *et* XII *(an* XI*?) Kal. Augusti*: itaque Ursinianam tabulam CXXXII minimum ante Solinum annis confectam colligit, quum sol uno die serius subiret idem signum. Lunares vero nundinas ait non titulum tantum, sed et imaginem σχανοτελήνου indicare, locis omnibus praefixam, atque eo firmare studet argumentum quod commodae et opportunae nundinatoribus noctes essent luna sublustres. Quin et solares nundinas in altero, quod periit, marmoris latere notatas fuisse contendit. Denique et de locis quae notantur, observat septem ea esse municipia, ut septem sunt dies, Roma excepta, quae montibus suis septenaria est. Ea denique et nomina illustrat, qua occasione de *Vico* ait, Varronis ei villam videri, prope Casinum, oppidum postea, et nundinis, ut hic videmus, insigne, additque *vicum frequentem et nundinis celebrem* ab Apulejo quoque memorari (*metam.* lib. III c. XXXIX, tom. I p. 208. Hildebr.). Tertium invenimus Pontederam, qui nostro hoc marmore usus est pluries in anno Romanorum ejusque temporibus illustrandis. Vide ejus *antiquit. graecar. latinarumque enarrat.* pag. 192, 245. seq. Iam ex his, quae delibasse sat pro instituto nostro esse putavimus, patet nostro huic marmori plenius adhuc illustrando haud plane supervacaneam eorum philologorum operam fore, qui cum humanioribus his litteris astronomicae rei et scientiae et historiae studia cumulaverint. Nobis adhuc suspectae manent *lunares illae nundinae*, etsi *lunares dies* apud Varronem (*de re r.* lib. I et 37) occurrere meminerimus. Circulos illos qui in medio marmore exhibentur, numerosque in iis inclusos non adhuc plena in luce positos fuisse per se patet. Quae de hiemis, veris, aestatis, atque autumni initio in marmore nostro notantur, a Neapoli plane improbata, uti jam diximus, conferenda sunt cum iis quae ea de re habet Pontedera l. c. p. 315 et prae-

Digitized by Google

cipue cum iis quae de veteris anni temporibus disseruit Petavius *variar. dissertat.* lib. II. c. 9. d. r. Vide quoquo Schneideri observata ad Varronis *de r. r.* lib. I c. 27 et ad Columellae lib. xi c. 2 d. r.r., ubi tamen miramur a viro doctissimo nullam farnesiani hujus marmoris fieri mentionem. Hoc vero marmor CXXXII ante Solinum annis confectum, quod Puteanus, ut diximus, statuit, nulli sane persuaserit. Longe enim abest ab adeo remoti temporis scripturae ratione. Nec facile Puteano eidem assentimur qui Vicum in marmore Varronis villam vocari conjicit, qua in re non modo videtur sui ipse oblitus (neque enim Varro CXXXII annis Solini aetatem superavit) sed vicum pro villa qua ratione dici potuerit docere vel noluit, vel magis non potuit. Videtur potius vici nomen defecisse, abrupta marmoris in qua scriptum erat lacinia. Quis vero non miretur Romanellium nostrum hoc marmor Casini inventum nullo auctore laudato asseruisse (*topogr.* tom. III. p. 385) qua in re fucum fecit et Corciae (*storia* t. I. p. 459), sed et addidisse extare illud Casini? Corcia idem sub *vici* nomine Fregellas intelligendas adserit quidem, sed non probat (*l. l. p. ead.*). Quoad haec quae notantur locorum nomina cum nostro fragmento alia omnino comparanda, quae simul cum frusto lapido Kalendarii partem referente, anno MDCCL apud Allifas effossa. Kalendarium primus edidit Matthaeus Aegyptius in calce operis *lettera al Sig. Langlet du Fresnoy*-Napoli MDCCL. Omnia autem fragmenta dedit Trutta atque illustravit: *antichità allif.* p. 39 et 54 seq. Quae Neapolim translata e Francisci Danielii museo Iosephus Castaldius collega noster ὁ μακαρίτης habuit, apud cujus heredes Iulius Minerviuius alter collega noster vidit nuper ac diligenter exscripsit.

Omisso Kalendario, cujus apographum satis accuratum habet Trutta *l. c.* locorum nomina juxta Minervinii exemplar rursum hic referre haud extra rem esse duximus.

fragm. 1	*fragm.* 2
ATIN*atibus*	BIN*eventanis*?
INTERAMN*atibus*	NVCER*inis*
TELESINIS	*L*VCERIN*is* APVLIS
SAEPINATIBVS	*S*VESSANIS
PVTEOLANIS	*ca*LENIS
ATELLANIS	*sue*SSVLANIS
CVMANIS	*sin*VESANIS
NOLAN*is*	*cala*TINIS

Aliud fragmentum addit Trutta, in quo haec tantum nomina legebantur

ALLIFANIS
CEREATIS (sic)

quod nunc ubi sit ignoramus.

Minervinii apographum ab eo Truttae nihil fere differt praeterquam in municipiorum nominum terminationibus atque initiis, quae integra ab illo referuntur; at nunc certe desunt, ac prioris quoque editoris tempore defuisse videntur. In septima fragmenti secundi linea VESANIS, non VESSANIS legitur: quod quum non vidisset Trutta *Sin*VESSANIS refecit. Cuius vocis orthographia, ut est in fragmento allifano, haud semel occurrit; nam et *Senuisani* in alia inscriptione lectum fuisse constat (Pellegrino *Campan.* p. 144. Pratilli *Via Appia* p. 164. Grut. p. CCCCXLVIII p. 4). Kalendarium Allifanum nostri non est instituti penitus illustrare: hoc tamen animadvertendum tria illa fragmenta ad Kalendarium ipsum pertinere; quod ex nostri musei lapidis comparatione probatur, nec non ab eodem effossionis loco, ubi simul cum Allifano Kalendario reperta sunt. Ex iis quae hucusque notavimus Puteanum ingenio suo indulsisse comperimus, quum in Ursiniano lapide observat septem municipiorum nomina notari, ut septem sunt dies: nam in allifanis octo sunt cujusque fragmenti municipia, ut octo pariter nomina, si Romam non excipias, in nostro referuntur. Ac fortasse Trutta haud improbandus, qui XXVIII coloniis ab Augusto deductis communes cum Roma nundinas fuisse ex his lapidibus demonstrari suspicatur *op. cit.* p. 55.

(129)

LIDI....

\XVII ANNAEPEI......

CF

...VPER NP DLIBER...

LIBERO·INCA....

CAESARHI....

EN EC

QVIR NP FQVIN....

QUIRINO·INCOLL MINERV...

AC GC

BC HC

CC AN

BTVBI....

DFERAL....

DISINFER....

Meminit huius fragmenti Fogginius *ad Verr. Flacc.* p. 102 his verbis: *Fragmentum marmoris affabre incisum, in quo decem solum dies notantur Februarii et Martii, et quod una cum aliis quibusdam inscriptis lapidibus a palatio Farnesiano ad Campum Florae in palatium Farnesianum Transtiberinum nuper translatis adservatur. Nemo usque modo, quod noverim, ejus meminit.* Saxius quoque (praefat. ad Vaassen. *Animadv. ad Fast. Sacr.* p. xx.) de eo ait: *Nemo quantum sciam, dedit.* Transcripsit Fogginius atque usui suo accommodata dedit quae in hoc frusto leguntur, haud tamen satis ad marmoris fidem; atque e Fogginio cuncta deinde transtulit Orellius in *Syllog. Inscript. Latin.* tom. 2. p. 384 *et* 387. Nos marmoris hic accuratum damus exemplum, et nonnullas addimus animadversiones - Col. 1 lin. 1 ...PER abruptum supplendum est *lu*PER. Lupercalia vero incidisse in XV februarii mensis diem, qui littera F notatur patet quoque e Maffejanis fastis, quos cum Ovidio nuper accurate contulit Cl. Merkelius in praeclara sua fastorum Ovidianorum editione *Berolini* 1841: vide pag. XXXIX et CLXXII, ipsumque Ovidium *fastor.* lib. II v. 265 segg. et cf. Foggin. p. 117 - Lin. 2 qui sequitur dies (februarii XVI), EN*do-tercisus, intercisus*, hic dicitur, uti et in fastis Maffejanis: perperam Fogginius pro litteris EN puncta exhibet, quasi eae deficerent litterae, quae in marmore sunt luculentae; et exhibet contra quasi exstantem in marmore diei litteram G, quae nunc est deperdita: servatur tamen in Maffejanis ante τὸ EN. Hic dies est de quo Ovidius *l. c.* v. 473 ait: *proxima lux vacua est.* Lin 3 sequitur februarii dies XVII qui notatur QUIR. NP Fogginius sic exhibet H....QVIR. NP. QUIRINO IN COLLE, et in notis p. 117 docet hac ipsa Quirinalium die actum festum, quod et feriae *stultorum* dicebatur, ad aedem Quirini, cujus situs in nostro hoc Kalendario ita designatur

Digitized by Google

QUIRINO IN COLL..: *quia nempe*, addit, *iam aliud in urbe extabat Quirini templum a Rufo et Victore templum novum Quirini appellatum, quod Augustus in regione VII aedificavit, et LXXVI columnis exornavit, dedicavitque a. u. c. 728, teste Dione lib. LIV. §. 19. Verum in ipso etiam colle Quirinali duae jam fuisse videntur Quirini aedes: antiquissima, sacellum et fanum etiam dicta, positaque proxime ad portam Collinam, auctore Festo, et altera a L. Papirio dedicata, teste Livio lib. X, quam Nardinus censet extitisse in colle Quirinali in ea parte, quae eminet in valli, quae adjacet inter Viminalem et Exquilinum.* Ovidius *l. c.* v. 509 seqq. de his Quirinalibus sic canit -

Templa deo (Quirino) *fiunt: collis quoque dictus ab illo est,*
Et referunt certi sacra paterna dies.

Sed in Kalendario Venusino ad III kal. julias scribitur quoque idem λῆμμα QVIRINO IN COLLE, quod quo pacto explicet Fogginius videsis apud eum pag. 122 seq. et quae dat Merkelius in praefat. ad Ovidii fastos p. CXLIII. seq. Adde et quae notavit Nibbyus *Roma antica e moderna parte II antica* pag. 707 segg. Sequuntur jam tres dies (feb. XVIII, XIX, XX) in nostro hoc Kalendario haud secus ac Maffejano, notis illis AC, BC, CC indicati; ac deinde XXI quem Maffejanum sic indicat D · FERAL: nostrum eadem exhibens, addit charactere minutiore DIS · INFER: at quae in his duabus lineis continentur in nova marmoris parte recentioribus litteris ex restitutione signautur, quam ex ipso Maffejano Kalendario probabili conjectura fortasse deductam arbitramur. Quae de Feralibus his statuerit nuper Merkelius digna sunt quae ex ipso ejus operis fonte petantur *praefat.* pag. XXXIX et seq. Videatur quoque de Feralium die Vaassenius p. 275 et seqq. et idem Merkelius in *Zeitschrift für Alterth.* 1840 p. 559.

Iam in altera nostri marmoris columna novem Martii mensis dies adnotantur. Et sane lin. I legitur EIDI... et inferius charactere minutiore XVII ANNAE PER... Fogginius pag. 107 sic exhibet B · EIDI... ANNAE · PE.... Sed τὸ B in marmore nunc deest. Suppletur tamen e Maffejano et Vaticano Kalendariis, quae et notam addunt NP, pro qua in nostro est I... Item in Vaticano additur: *feriae Annae Perennae via Flam. ad lapidem primum.* Ovidius *fastor.* lib. III v. 523 seq.

Idibus est Annae festum geniale Perennae
Haud procul a ripis, advena Tibri, tuis.

Vide quoque quae post Clausenium *Aeneas und die Penaten* pag. 487 seq., 506 seqq. de Annae Perennae cultu dat Merkelius *ibid.* p. CCXIV seqq. et Raoul-Rochette in docta de Hercule Assyro et Phoenicio commentatione in *mém. de l'Acad. des inscr. et bell. lettr.* vol. XVII p. 238. — Lin. 2. EF III in Maffejanis - Lin. 3 legitur in nostro fragmento

D. LIBER LIBERO IN CA... CAESAR . III... De Liberalibus, quae et in Kalendario Maffejano hac die memorantur addito NP, vide quae multa notat Fogginius p. 118; qui in nostro fragmento LIBERO IN CA.. supplet *in Campo Martio*, atque huc forte concurrere solere anus liba sacrificantes opinatur: quod quum in Campo Martio fieret, inde Macrobio *satur.* lib. I cap. 4 *Agonium Martiale* fuisse cognominatum censet. Vide de hoc Liberalium nomine Varronem, qui a Saliis Agonensibus derivatum putat de L. L. Lib. VI, 14 p. 70 Mueller. cf. Merkelium *praef. ad Ovid. fast.* pag. CLXXVII et CCXXXVIII. (1).

Notat vero Fogginius e Dione lib. XLIII §. 42 et 44. Caesaris victoriae de Cn. Pompejo magni filio ex Hispania nuntium Romam venisse aprili mense pridie Paliliorum, eamque senatum fastis perscripsisse. Sed et illud plane notandum quod in Maffejano, Capranicorum, Amiternino, Antiatino Kalendariis Caesaris victoria de Hispania (vel citeriore Hispania) ad secundum Augusti diem adnotatur, quo die

(1) De *Liberalium* festo vide quoque Hartungum docte disserentem *Relig. der Roem.* tom. 2. p. 135. seqq.

(alio tamen anno) Caesar et Pharnacem vicisse dicitur in Amiternino: vide Fogginium p. 125. Docuit nuper cl. Merkelius e Pighii ἀπογράφῳ Maffejorum non die secunda, sed Kalendis ipsis Augusti eam Caesaris (Augusti) victoriam notari: cujus victoriae memorias pete a Fogginio et ab ipso Merkelio in *Zeitschrift für die Alterthumswiss.* 1840 p. 569, et in *proleg. ad fastos Ovidianos* pag. XXV. Quod vero ad hanc Hispaniensem D. Caesaris victoriam, idem Merkelius Dionem auctorem laudans ludos Parilibus decretos esse animadvertit, quum pridie Parilia ad vesperam ejusdem nuncius advenerit; additque: *Aut igitur tunc ejus victoriae memoria acta est, aut, si dies ipse, quo accidit, sacra celebritate etiam insignis fuit, quod tradi non memini, improbabile non dixerim, quaerendus est is dies eo spatio ante Parilia, quo ex Hispania litterae perferri potuerunt: id spatium fuisse quadraginta dies Pollio docet Cic. ad fam.* 10, 33. *Trigesimo sexto ante Parilia die, Liberalibus, fragmentum Farnesianum has litteras servavit:* CAESAR HI..., *quod vide, num huc pertineat, pag.* XXVI. Nescio vero cur hac dubitatione teneatur vir clarissimus; quum et quadraginta circiter dies a Liberalibus ad Parilia intercedant, nec trium vel quatuor dierum differentia ab ea opinione animum abducere possit; nam et itinera ad victoriae nuntium afferendum aequum erat accelerari. Ceterum ex ipsis Dionis verbis, quae paullo post addit, ejus victoriae mentionem esse in fastis illatam colligas, nam et Caesarem ex eo facto *Liberatorem*, quasi republica in libertatem adserta, fuisse appellatum atque in fastis perscriptum narrat: ἐλευθερωτήν καὶ ἐκάλουν, καὶ ἐς τὰ γραμματεῖα ἀνέγραφον: *ibid.* c. 44. Quapropter non nuntii die, sed ea qua revera relata victoria fuerat facti mentionem injici novumque Caesaris cognomen in fastis inferri oportebat. Ideo in nostro fragmento CAESAR HI... supplendum arbitramur:

CAESAR · HISPANIAE · VICTOR · PATRIAE · LIBERATOR EST · APPELLATVS

Lin. 4 sequitur EC ut in Maffejanis-Lin. 5. XIX Martii dies notatur F QVIN....id est QVINQVATRIA, ut in Maffejano, Praenestino, et Vaticano Kalendariis. In hoc nostro fragmento additur MINERV...quae *de Minervae natali* Fogginius interpretatur. Ita Ovidius *Fastor.* Lib. III v. 811-812.

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
Caussa quod est illa nata Minerva die.

In Vindobonensi Kalendario N. MINERVES ad hunc diem legitur, quo *Natalis Minervae* esse intelligendum patet: vide Foggin. p. 118 et 30. Ceterum de Minervae apud Romanos cultu, ejusque festo quinquatribus, praeter ea quae habent Muellerus *die Etrusk.* vol. II pag. 48-51, Hartungus *die Religion der Roemer* tom. 2 pag. 78 seq., Ambroschius *Studien und Andeutungen* etc. p. 173, atque Clausenius *op. cit.* p. 691-704, vide Merkelium in *praefat. ad Ovidii fast.* p. CCXLIII et seq., qui de Quinquatruum tamen nomine nihil audet definire-Lin. 6, 7, 8 litterae CC, HC, AN ut in Maffejanis sequuntur - Lin 9 (XXIII Martii dies) litterae BTVBI...ut in Maffejano, Praenestino, ac Vaticano Kalendariis ad *Tubilustrium* referuntur. Vide quae de hoc festo disserit Fogginius p. 32 et 118. Ovidius:

Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
Admonet, et forti sacrificare deae.
Fastor. lib. III, v. 849.

Ad postremum *Quinquatruum* diem adludit poeta, quum festum illud ad quinque dies protrahat unde et nomen deducit: secus ac corrigendum est ex Varrone *de l. lat.* Lib. VI, 14 p. 78 edit. Mueller, et Cicerone *ad div.* lib. XII ep. 25, ubi biduo post Liberalia de *Quinquatribus* fit mentio. Marti ot Minervae, ut diis bellatoribus, hunc diem sacrum ex nostro fragmento, Kalend. Vindobonensi et Ovidio, a quibus Minerva memoratur, atque ex tabula Praenestina, et Lydo

Digitized by Google

de mens. p. 206 ed. Röther, ubi Martis mentio occurrit, recte colligitur. Cf. Merkelium in *praefat. ad Ovid. fast.* p. XLII. A Varrone et in Kalendario Praenestino *tubi* lustrari dicuntur in *atrio sutorio*. Quale id *atrium* et in qua urbis regione fuerit a veterum nemine indicari ait Foggioius, conjicitque atrium fuisse, *in quo aliquod cogebatur sutorum collegium, seu frequentiores erant sutorum officinae:* p. 33. De regione vero in qua sacrum hoc celebraretur cl. Viri Theod. Mommsenii collegae nostri probabilis est opinio. Is cum Amiterninum Kalendarium oculis suis inspicere potuisset, multas emendavit lectiones, quae secus editae fuerat. Inter has emendationes huc referenda quae ad secundum, id est mensis Mai *tubilustrium* spectat: nam ubi ceteri alia omnia viderant, ·····VR / INVELIA revera in lapide legi αὐτόπτης testatur Mommsenius, ac supplet

G X TVB. NP LVSTRANTVR / TVBI IN VELIA

Quum vero in eodem *atrio sutorio* ambo *tubilustria* fieri ex Festo pateat s. v. *tubilustria*, concludit Mommsenius in Palatino monte tubas lustrari; nam Romuli *lituum*, quem in *atrio sutorio* repertum Lutatius apud Verrium Flaccum auctor est, in Saliorum curia inventum alii omnes commemorant: Bekker *topogr.* p. 421 A. 41. Nunc vero ex Calendarii Amiternini auctoritate, quod *atrium sutorium* in *Velia* statuit, et Saliorum curiam et *atrium sutorium* in eodem Palatino circa *regiam Vestaeque templum* extitisse colligimus: vide laudatum Mommsenium in Gerhard *archaeolog. Zeitung.* an. V p. 108. s.

(130)

M A G . II

CRIIEK · AVGVSTAE · SPEI · AD · FORVM · HOLITORIVM DK · SEPTEMB

NATAL · TI · CLAVDII · GERMANICI

F	IIII	N	FERIAE·QVOD·HOC·DIE·IMP·CAESAR·HISPANIAM	E	IIII	NP	ACT
IN G	III	C	CITERIOREM·VICIT.	F	III	NP	FERIAE
H	PR	C		G	PRID	C	LVD
A	NONAE		SALVTI·INCOLLE·QVIRINALE·SACRIFICIVM	H	NONAE		
B	VIII	F	PVBLICVM	A	VIII	F	
C	VII	C		B	VII	C	
D	VI	C	SOLINDIGITIS·INCOLLE·QVIRINALI·SACRIFICIVM	C	VI	C	
E	V	NP	PVBLICVM	D	V	C	
F	IIII	NP	FERIAE·ARAE·OPIS·ET·CERERIS·IN VICOIVGARIO	E	IV	C	
G	III	C	CONSTITVTAESVNT	F	III	C	
H	PR	C	HERCVLI·MAGNO·CVSTODI·INCIRCO·FLAMIN	G	PR	NP	
				H	EIDVS		IOVIN
A	EIDVS		DIANAE IN AVENTINO·ET·VORTVMNO	A	XIIX	F	EQVO
B	XIX	F	IN LORETO·MAIORE	B	XVII	C	LVDI
				C	XVI	C	LVDI
C	XIIX	C		D	XV	C	LVDI
				E	XIIII	C	LVDI
			[PORT]VNO·ADPONTEMAEMILIANO AD	F	XIII	C	LVDI
			[THEATRVM MARCELLI]				

Fragmentum hoc primus edidit Iacobus Mazochius in *Kalendariis et opusculis* Romae MDIX, qui Romae in aedibus nobilis viri Laelii *de la Valle* illud extaro affirmat. Complures deinde sub nomine Capranicorum ediderunt; Aldus Manutius *Orthogr.* p. 416 edit. Venet. MDXCI, Georgius Fabricius *Romae antiq.* p. 197-198, Gruterus p. CXXXIV, Carolus Neapolis in fronte *Anaptyxeos ad Fastos Ovidii*, Io. Georgius Graevius in *Thes. antiq. Roman.* tom. VIII p. 29, 30, Fogginius *ad Verr. Flacc. fragm.* p. 112 s.: quos omnes laudat Saxius in *praef. ad Vaassenii fast. sacros* p. XIX, III: ex his Orellius *Sylloge inscr. latinar.* tom. II p. 396. Ita de hoc fragmento Fogginius loquitur » *Nunc extat, dimidiatum tamen inferius, apud eruditissimum virum Caietanum Marinium, unum ex duobus Pontificiorum Archivorum custodibus, cui Roma debet sibi illud restitutum esse; nescio enim quo fato Mutinae exulabat*, pag. 100, § III. Nos partem superiorem tantummodo exhibemus, in qua Augusti et Septembris mensium fasti ad XVII diem continentur, reliquos dies alii omnes referunt; sed probabile est jam Fogginii aetate hanc partem fuisse deperditam, qui dimidiatum marmor inferius commemorat. Editores omnes priorem lineam, nec non litterarum λείψανα ad mensem Julium pertinentia plane omittunt; nec cetera, ea qua par est diligentia, referunt: nam et litterarum divisionem saepe turbant, et multa per sigla exprimunt, quae integra in marmore legebantur.

Antequam ad Kalendarii partem adhuc extantem nostras animadversiones addamus, operae pretium videtur lineas deperditas ex prioribus editoribus referre.

F XV	C		
O XIIII	C VIN · NP · VENERI · AD · CIRCVM · MAX ·		
H XIII	C		
A XII	CONS · NP · CONSO · IN · AVENTINO · SACRI FICIVM	G XII	C MERCA..
B XI	EN (1)	H XI	C MERCA..
C X	VOLCAN · NP · VOLCANO · INCIRCO · FLA MINIO	A X	C MERCA..
		B VIIII	CN NATA..
D VIIII	C	C VIII	C FERIAE
E VIII	OPIC · NP · OPI · INCAPITOLIO	D VII	C VENER..
F VII	C	E VI	C ....
O VI	VOLT · NP · VOLTVRN · FLAMINI · SACRI FICIVM		
H V	P	F V	C ....
A IIII		G IV	....
B III		H III	....
C PR	XXX NAT · C · CAES · OERMANICI	A PR	....

Lin. 2 - C deest in Fabricio - Lin. 12 - VOLTVRNO · FLVMINI est apud Fabricium, sed recte ad *Volturnalem Flaminem* respexit Fogginius, qui linea extrema XXI pro XXX refert: cf. Orellium t. II pag. 413.

Sed ut aliquid de nostro fragmento dicamus, quid sibi velint in prima linea litterae MAG II, vel quo pacto suppleri debeant inspiciamus. Ad Kalendarii titulum eas pertinere patet; sed cum Maffejani Kalendarii tituli litteris adhuc exstantibus, quas vide apud Blanchinium, *de Kalend. et cyclo Caes.* tab. ad pag. 6, et Saxium *praef. ad Vaassen.* p. XVI, nullo modo sunt comparandae. Atque hoc loco priusquam ad fragmentum Capranicorum accedamus, quae-

(1) Ita pro FN retulimus ex correctione Merkelii *proleg. ad Ovid. fast.* p. XXIX.

dam de Maffejano Kalendario addere haud pigeat; quum ejus perpetua comparatione nos uti oporteat. Decem abhinc annis, cum Ovidianorum fastorum editionem pararet cl. Merkelius, Maffejani Kalendarii diligentissimum, ut ipse dicit, apographum e Pighii schedis edendum curavit: turbasque multas contra Italos omnes excitavit, qui antea ediderant. At Blanchinii librum *de Kalendario et cyclo Caesaris* Romae a. MDCCIV typis eusum vir doctus adspicere non potuit; nam ex eo et Italorum diligentiam laudasset, et ipsum Pighii apographum correctius emendatiusque dedisset. Persuasum fuit Merkelio Blanchinium aliquod ectypon secutum esse, quod cujus sit anni se ignorare fatetur (*proleg. ad Fast. Ovid.* p. XVI): verum si ipsum Blanchinii librum oculis usurpare potuisset, tabulae *ἔκτυπα* ex marmore espressam novisset, quod an. 1704 mense Junio in Palatio Farnesiano ad Campum Florae tutissimo loco repositum repertum esse narrat Blanchinius p. 6. Quod cum Agginio innotuerit, mirum cuique videri debet eum Pyrrhi Ligorii exemplum quam marmoris ectypon sequi maluisse p. 99. Ut verum fateamur Blanchinii tabula cum Pighii apographo fere semper convenit: in aliquibus tamen ab eo differt, nec cuiquam dubium esse debet cui majorem fidem praestari oporteat. Non est hic locus duas lectiones conferendi: sed pauca tantum notabimus, quae majoris sunt momenti, quam quae praeteriri possint. Titulum a Pighio omissum apud Blanchinium, ut supra diximus, legere est. Praeterea quod Pighius ad mensis Octobris diem XXVII refert NC LVD VICT Blanchinii ectypon ad XXVI reportat, ac sequente die habet DC LVDI: complures alias lectionis varietates praetermittimus, quae ad litterarum omissionem vel adjectionem pertinent.

Sed ad nostrum fragmentum redeamus. Cum tituli reliquiis MAG II conferendus est tabulae Antiatinae titulus, ubi et aliquis MAG. III legitur. Kalendarium Antiatinum privatum *feriale* a doctis viris reputatur, ad domus Augustae servorum collegium pertinens, atque eo modo explicatur cur ejus collegii magister memoretur (Bianchini *iscriz. della camera sepolcrale de' servi e liberti di Livia* p. 74). Idem de Capranicorum fragmento tenendum est, non publicum sed privatum fuisse Kalendarium, quum et Magistri cuiusdam collegii mentio fiat. Post titulum sequitur Kalendarium, cujus primae columnae reliquiae ad mensem Iulium, secunda et tertia columna ad Augustum ac Septembrem spectant. Quod ad primam columnam, litterae CETI ad Kalendas Iulias pertinent, ac fortasse legendae sunt...CETI, quo verbo cujus rei sit facta mentio ignoramus. In eadem columna litterae ... IN apparent eo loco, qui ad IV nonas respondet. Hinc idem fuisse suspicamur quod latius in Amiternino Kalendario FER · EX · S · C · Q · E · D · ARA · PACIS · AVG · IN · CAMP · MAR · CONSTITVTA · EST · NERONE · ET · VARO · COS ·

In altera marmoris columna quindecim mensis Augusti dies memorantur. Lin. 1 · EK · AVGVSTAE. Observatu dignum notam in Kalendis omitti tam mensis Augusti quam Septembris: ex quo, ut Merkelius animadvertit, fastae an nefastae essent in dubio relinquitur *proleg. ad Ovid. Fast.* p. XXIII. In Amiternino et Antiatino Kalendariis hic dies NP signatur. Sequitur in nostro fragmento SPEI · AD · FORVM · HOLITORIVM, ut in Kalendario Antiatino ... SPEI · AVG .... Spei aedem ab Atilio Calatino dedicatam (Cic. *de Leg.* II. c. 11), anno u. c. DXXXIV fulmine ictam narrat Livius (XXI, c. 62 cf. XXIV, c. 47, et XXV c. 7), qui in Foro Olitorio diserte collocat. Anno u. c. DCCXXIII incendio eversam Augustus instauravit (Dion. lib. L. c. 10), Germanicus sacravit (Tacit. *annal.* lib. II. c. 49). Et Calatini, et Germanici dedicationem Kalendis Augustis evenisse ex nostro fragmento Fogginius deducit pag. 125. Hujus Spei aedis reliquias apud Forum Olitorium nuper repertas narrat cl. Canina in *Annali dell' Istituto di corr. archeol.* 1850 p. 351.

Fragmentum nostrum addit hoc ipso die NATAL · TI · CLAVDII · GERMANICI, quod

et in Antiatino litteris TI · CLAV. ... indicari videtur. De hac mentione, et de *Germanici* cognomine, quod Tiberio Claudio tribuitur, vide a Fogginio adnotata, qui observat Kalendarium Capranicorum multo recentius insculptum fuisse Kalendariis Maffejorum et Amiternino, ubi nulla nec aedis Spei a Germanico sacratae, nec natalis Tiberii Claudii mentio est. In his tabulis contra Caesaris Augusti victoria memoratur, quod in Amiternina tabula per haec verba exprimitur: *Feriae ex S. C. quod. e. d. Imp. Caesar Divi f. rempublicam tristissimo periculo liberat*, in Maffejanis vero HOC DIE.... .... VICIT: quae verba partim ad Kalendas, partim ad secundum Augusti diem spectare ex apographo Pighiano, ac Blanchinii tabula colligi arbitramur. Prioris victoriae mentionem ex Dione lib. LIX c. 20, explicat Merkelius *proleg. cit.* p. XXVI., qui nullam secundo loco agnoscit.

Lin. 2 - Dies Augusti secundus litteris FN notatur, ut in Antiatino: in Amiternino est F NP; nihil de Maffejano statuendum, ubi haud recte Pighius FC retulit, quum in Blanchinii tabula nulla plane littera post F superstes appareat. In nostro fragmento Hispaniensis Julii Caesaris victoria memoratur, quae et in Amiternino et Antiatino quoque occurrit: vide quae diximus supra p. 114 et 115. Eadem mentio in fastis Maffejanis facta esse videtur: nam quae superest vox *vicit* non ad Kalendas spectare ex litterarum positu, atque amplitudine deducimus, quae cum praecedentibus verbis HOC · DIE minutiori charactere exaratis non bene cohaerent. Non sunt ergo *nugatores* putandi, qui id lemma huic diei assignare voluerunt; ut nimis audacter, uti solet, de doctis Italis loquitur Merkelius, qui quum Kalendarium Maffejanum ad aevum Augusteum referendum esse censeat (in *Zeitschrift für die Alterthumsw.* 1840 p. 546 et 554; quae fuit et Blanchinii sententia *de Kalend. et cyclo Caesaris*), cur Augusti aetate neget credibile esse Hispaniensem divi Caesaris victoriam mense Augusto fuisse celebratam, (*proleg.* p. XXVI) ignoramus.

Lin. 4 et 5. Dies Augusti tertius et quartus notantur litteris GC, HC, ut in Maffejano, Amiternino, ac Antiatino. - Lin. 6 - A. NONAE - Haud recte Fogginius in nostro fragmento C notam refert, quum ubique in eo kalendis, nonis, atque idibus notae omittantur: quod a prioribus editoribus recte servatum. In Kalendario Maffejano nec non in Amiternino hic dies dicitur F; in Antiatino NP. Sequitur lemma SALVTI IN COLLE · QVIRINALE · SACRIFICVM · PVBLICVM: ut in Amiternino et Antiatino SALVTI · INCOLLE. De hoc Fogginius » *Aedem Salutis in colle Quirinali juxta portam, quae ab ea salutaris dicta est, Consul vovit, Censor locavit, Dictator dedicavit a. u.* CDLXII *C. Iunius Bubulcus teste Livio* (Lib. IX, 43 extr. et. X, 1). *At cur sacrificium publicum? Quia pro universo populo offerebatur, cum singuli hominum sanitate corporis frui indigeant* » pag. 126. De hoc templo vide Valer. Max. 8, 14, 6; Plinium *Hist. nat.* lib. XXXV, c. 4; Tacitum *Annal.* lib. XV c. 74. - Lin. 7 et 8. Dies mensis sextus et septimus litteris BF, CC notantur ut in Maffejano et Amiternino - Lin. 9. - D. C ut in ceteris Kalendariis. Iam advertit Fogginius pag. 126, Soli Indigeti sacrificium ad subsequentem diem esse referendum, et lapicidae errore factum ut ad hunc diem notaretur. Recte in Kalendario Amiternino ad V. idus legitur SOLI · INDIGETI · INCOLLE · QVIRINALE. In nostro marmore ex hoc etiam σφάλμα pernoscitur, quod publicum sacrificium ad comitialem diem spectare non posset. - Lin. 10. Dies Augusti nonus litteris E NP notatur ut in ceteris omnibus Kalendariis. Ad hunc diem *Soli Indigeti* (quae vox lapicidae errore *Indigetis* in nostro fragmento legitur) publicum sacrificium pertinere jam supra adnotavimus. De Sole Romanis culto vide Ambroschium *Andeut.* p. 171, Klausenium *Aen. und die Penat.* pag. 1027, Merkelium *ad Ovid. Fast. proleg.* p. CCXXXVII. Quod ad *Indigetis* ἐπίθετον attinet, multa haud plane probanda Fogginius congerit p. 126. De diis Indigetis a Romanis cultis lege quae

docte disserit Vossius *de ortu et progr. idol.* l. I cap. XII; ubi tamen nullo modo Sol memoratur. Eodem die in Kalendario Maffejano additur λῆμμα HOC DIE / CAESAR / HISPALI VIC, ut legere est in apographo Pighiano, nec non in Blanchinii ectypo. Audax certe Merkelii conjectura habenda, qui ex literis H I SPLI, PHARSALIAE · VICIT intelligendum existimat *proleg. cit.* pag. XXVIII, quod jam Fogginius suspicatus erat. Nos lectionem potius retinendam ducimus, quae ab omnibus editoribus confirmatur; atque alio modo rem explicamus. Certum est ex Hirtii *de bello hispanico* libro c. XXXVI et seqq., *Oudendorp.* pag. 822 segg. tom. II. Stutgard. 1822. Hispalim recuperatam a Caesare fuisse paullo ante idus Aprilis, ut diductis calculis demonstratur. Nostra ergo est certa opinio quadratarii errore factum ut quod ad paullo ante idus Aprilis esset referendum, ad paullo ante idus Augustas potius traheretur. Haud semel in Kalendariis hujusmodi errores occurrunt: ac id eo facilius hoc dio admitti poterat, quod Pharsalica pugna esset memoranda. Nec nos ullo modo retinet quod Merkelius animadvertit *oppida non vinci sed capi*; nam in Kalendario est HISPALI · VICIT, ut PHARSALIAE VICIT; quibus verbis non Hispalim victam, sed prope Hispalim victoriam relatam esse intelligimus.

Lin. 11. Dies mensis decimus, quem fasti Maffejani notant C, reliqui cum nostro fragmento NP. Ex hoc etiam conjicias, quantum Maffejanum Kalendarium aetate praestet; nam, quum exaratus fuit, feriae Opi et Cereri adhuc constitutae non erant. Vide Merkelium in *cit. Zeitschrift* Zimmermanni 1840 p. 571. In Kalendario Amiternino additur anni mentio, quo hae arae sunt consecratae *Cretico et Long. Consulibus*, qui ad 760 urbis conditae annum pertinent: vide doctissimi collegae nostri Borghesii ad Iulium Minervinium epistolam in *bullett. arch. napol.* an. IV p. 84, qui Lucilium Longum K. juliis suffectum ex Tacito colligit *ann.* lib. IV c. 15: nec inter *Longum* ac *Longinum* haeret, ut in Kalendario Amiternino Marinius *Arv.* p. 665, atque Orellius *sylloge inscr. latin.* tom. II. p. 412, qui ignotum Licinii Siliani suffectum dicunt. In frusto lapide apud Marinium *Arv.* p. 4 qui nunc in regio museo adservatur, initio legitur

Q · CAECILIO . . . .
M · BENNIO . . . .

qui quum mense Augusto memorentur, ad anni u. c. 760 consules nullo modo referri possunt, quum eo tempore *Caecilius* ac *Lucilius Longus* fasces tenerent. Ideo, si consulum nomina in eo lapide sunt intelligenda, ad alium annum posteriorem, aliumque Caecilii suffectum consulatum referri oportet, ut visum collegae nostro Augustino Gervasio in ejus inscriptionis illustratione *inscr. Puteolana de' Luccei* p. 22. Quod ad Kalendaria, haud plane spernenda Fogginii conjectura, cum eo anno annonae penuria populus romanus laboraret (Dio lib. LV §. 31) Augustum fortasse Opi et Cereri aras ex voto suscepto constituisse.

Lin. 12. Dies Augusti XI litteris CC notatur, ut in ceteris Kalendariis.

Lin. 13. HC, ut in ceteris. Addit nostrum: HERCVLI· MAGNO · CVSTODI · IN · CIRCO FLAMINIO. De hac mentione Merkelius » *Is Hercules Magnus Custos in Circo Flaminio, non circi Flaminii, ut apud P. Victorem est, in ipso marmore Capranicorum pridie idus Aug. perperam ascribitur pro Hercule invicto ad Circum Maximum* »: *proleg. ad Ovid. Fast.* pag. CXXXV. Vide ipsum Merkelium alibi de hoc deo disputantem, qui Herculem Custodem in Circo Flaminio eumdem putat esse Graecorum παραστάτην in gymnasiis (Pausan. V, 8, 1; 14, 7: VI, 23, 3). Nam is Hercules παραστάτης Pausaniae Idaeus dicitur, quem ad Sybillam quam maxime pertinere docuit Klausenius *Aeneas und die Penaten* p. 22, 237, 261: at Herculem Custodem ex librorum Sybillinorum auctoritate consecratum dicit Ovidius (Fast. lib. VI, v. 210): cf. Merkel. *prolegom.* p. CC seq. Notum est in Kalen-

darii Venusini fragmento, pridie nonas iunias, HERC*uli* MAGNO CVSTO*di* sacrum memorari: v. Lupoli *Iter venusinum* p. 274 et 281.

Lin. 13. A EIDVS. Nota caret hic dies; at in Maffejano ceterisque Kalendariis NP signatur. Addit fragmentum nostrum: DIANAE IN AVENTINO ET VORTVMNO IN LORETO MAIORE. De templo Dianae Aventinensi multa Fogginius, qui cum templo Lunae in eodem Aventino memorato idem esse opinatur pag. 37 s., quod et Neapolis in *Anaptyxi* ad fastos Ovidianos censet. Sed observat Merkelius ex eo quod tabula Maffejana ferias Lunae Aventinensis nullas agnoscat, argumento esse diversum id templum fuisse a celebratissimo Dianae Aventinensis; *quod si eo tempore injuriam ejusmodi, ut feriae cessare potuissent, passum esset, non ignoraremus: proleg.* p. XLIV cf. p. CCXLIII. Quicquid de hac quaestione tenendum, cum nostro fragmento alia conferenda sunt Kalendaria, et Festi locus p. 149, 7 Müller, a quibus etiam idibus Augusti maximum Dianae templum a Servio rege dedicatum memoratur. Quod addit praeterea nostrum fragmentum *et Vortumno in Loreto majore* non adversatur Amiternino ubi Vortumni pariter ac Dianae aedes in Aventino statuuntur. Loretum seu Lauretum in Aventino erat: vide Varronem *de L. L.* lib. v, 152, et *Human. rer.* lib. II, apud Macrob. *Saturn.* III, c. 12. Diserte Plinius » *Loretum in Aventino* » *vocatur, ubi silva lauri fuit* » Hist. Nat. lib. XV cap. 40, 5. Ceterum de vicis Loreti maioris et Loreti minoris conjunctis cum Armilustro vide quae disputat Sachse *hist. et descr. Urb.* T. I p. 76; et confer Müllerum ad citatum Varronis locum p. 59 not.

Lin. 14. BF, ut in ceteris omnibus, dies mensis XIII signatur. Ita lin. 15 CC, ut in ceteris Kalendariis.

Lin. 16. omnino deest, cum hic marmor sit abruptum; sed nihil aliud in ea contineri patet quam litterae D XVII C.

Lin. 17. Nota temporis injuria absumpta, fortasse E NP ut in Maffejano. Sequitur lemma [PORT]VNO · AD · PONTEM · AEMILIANO AD, quod in antiquioribus exemplaribus completur hoc modo AD THEATRVM MARCELLI. Jam apud primos exscriptores Fabricium atque Manutium, quos Carolus Neapolis aliique sequuntur, optimae lectiones retinentur; quas et nos ex αὐτοψίᾳ recepimus. Sed tractu temporis hic Kalendarii locus male habitus; ita ut apud Fogginium legas:

PORTVNO AD PONTEM · AEMILIANO
AD THEATRVM . MARCELLI

quod interpunxit Orellius AD PONTEM AEMIL · IANO etc.

At Iı in lapide conspicitur; prior autem littera altera procerior, ut saepe fit, ad duplicis vocalis vim denotandam. Jam advertit Fogginius Kalendaria Amiterninum et Capranicorum locum designare, ubi Portunalia agebantur; nempe ad pontem Aemilium: sed quod addit hunc pontem in nostro fragmento Aemilianum vocari, lapicidae vero errore AEMILIANO, ad pravam lectionem referri debet, qua abductus totum locum perperam intellexit; quum quae sequuntur verba AD THEATRVM MARCELLI ad eadem Portunalia miro errore detorserit. Contra ex hoc nostro Kalendario duas ferias eadem die actas fuisse deducimus *Portuno*, ac celeberrimo illi *Jano*, de quo tot doctorum virorum sunt opiniones atque disputationes. Recte vero Jani feriae ad *theatrum Marcelli* actae dicuntur, quum et in Kalendario Amiternino die Octobris XVIII idem plane lemma legatur IANO AD THEATRVM MARCELLI: ex quo Jani templum eo loco fuisse conjicias. Atque Taciti etiam verba sunt conferenda, qui Jani templum apud forum Olitorium a C. Duillio structum memorat (*Annal.* lib. II. § 49). Vide Fogginium pag. 134.

Jam ad alterius columnae fragmentum pervenimus, in qua mensis Septembris XIX dies memorantur.

Lin. 1. D. K. SEPTEMB, ut in ceteris Kalendariis Amiternino et Antiatino; haud vero in Maffeiano, quod Septembris initio est deperditum, ut ex apographis Blanchiniano atque Pighiano colligitur, quae hoc mense inter se collata plane conveniunt. — Lin. 2. Litteris E NP se-

Digitized by Google

cundus Septembris dies signatur; ut in Amiternino et Antiatino: quae autem sequuntur verbi λείψανα ACT...ad Actiacam victoriam referuntur. Eadem victoria in Amiternino Kalendario pluribus verbis indicatur: vide Fogginium p. 129-130, qui FERIAS NEPTVNO ideo memoratas in Maffejanis fastis opinatur, quod Neptunus in navali praelio, ut fuit Actiacum, Augusto opem tulerit. Sed nihil in Maffejano Kalendario de Neptuno legi ex Blanchiniano nec non Pighiano exemplis fit manifestum. Ceterum de ea mentione, ac de tota Fogginii opinione vide quae disputat cl. Merkelius in *Zeitschrift für Alterthumswis.* 1840 pag. 572. Nescio vero an pro veritate habendum quod ipse vir doctus conjicit, ex prava Pighianorum verborum interpretatione *Neptuni* mentionem in Maffejanis fastis illatam fuisse: Pighius enim » Et ut absolvamus (ait), III » Non. Septembris ob Neptuni ferias, ut » partim ex alterius Calendarii fragmen- » tis, partim ex Dione habemus ». Addit Merkelius — *Kalendarium quod innuit, quodque solum nosse potuit est Capranicorum.* Nos vero hanc conjecturam nulla niti probabilitate censemus; nam apud eos, qui primi fragmentum ediderc, nullum de hac Neptuni mentione vestigium reperitur. Fragmentum ut ab initio fuit repertum apud nos servatur: et Septembris initio literarum reliquiae omnino desunt, e quibus ea Pighius adfirmare potuisset; igitur ad aliud certe Kalendarium nobis ignotum respexit. — Lin. 3. Tertia Septembris dies litteris F. NP denotatur, ut in Maffejano ceterisque Kalendariis. Feriae, quarum hic est mentio, in Amiternino memoratae leguntur hoc modo: FER ET SVPPLICATIONES APVT OMNIA PVLVINARIA QVOD EO DIE CAES DIVI F. VICIT IN SICILIA CENSORIN · ET CALVIS · cos. Vide Fogginium p. 130. — Lin. 4. Dies mensis quarta litteris GC ut in ceteris Kalendariis signatur. Quod legitur in nostro LVD....ad *ludos Romanos* refertur, quorum in Maffejano et Amiternino Kalendariis expressa fit mentio; at in nostro ob marmoris fracturam verbum est intercisum. De ludis Romanis in theatris celebrari solitis (Dio lib. LIII, 30) intelligit Merkelius, in cit. *Zeitschrift* p. 575. — Lin. 5-11, dies mensis quintus ad undecimum litteris H, AF, BC, CC, DC, EC, FC ut in ceteris Kalendariis signantur—Lin. 12, XII Septembris dies G NP litteris denotatur, quum GN in reliquis reperiatur—Lin. 13-H EIDVS litteris. NP signantur in Maffeiano, Amiternino, et Antiatino Kalendariis. Recte Fogginius p. 130 ad hunc diem revocat quod de Libonis conjuratione ac nece legitur in Amiternino, consentiente Tacito (*Annal.* lib. II c. 28 ad 32.) Sed nihil addit de verbis IOVIN... in hoc nostro fragmento nec de EPVLI.... in Antiatino conspicuis. Certe sacrificium indictum Jovi ob Libonis *detecta nefaria consilia*: id quod litteris IOVIN satis indicatur in nostro IOVI *in Capitolio*: at illud sacrificium expresse memoratur in Antiatino, ubi EPVLum Iovi indictum legitur. Epulae deorum nulli non cognitae, quibus procurandis Septemviri Epulones apud Romanos praepositi. De Jovis autem epulo Valerii Maximi verba sunt tralaticia: *Jovis epulo*, *ipse in lectulum*, *Juno et Minerva in sellas ad coenam invitantur* (Lib. II. cap. 1.) — Lin. 14. Litterae AF ad XIV mensis diem, et sequentes EQVO.... ad *equorum probationem* referuntur. Eadem mentio in Maffejano et Amiternino, ubi EQVOR · PROB; nec non in Antiatino, ubi EQVOR.. Advertit Merkelius improbabilem esse Morcellii conjecturam, qui *equitum transvectionem* innui putabat. Fogginius potius laudandus, qui equos proximis circensibus idoneos hac die probari consuevisse putat (p. 135): ea potissimum ratione, quod etiam XIIX Kal. Decembres equorum probatio circenses praecedat: vid. cit. *Zeitschrift*, p. 575—Quae sequuntur lineae 15-19 litteris BC, CC, DC, EC, FC in nostro fragmento signantur: ex quo omnes comitiales fuisse dies conjicias tum temporis quum Kalendarium est exaratum. At in Maffejano atque Amiternino dies XV pro Comitiali Nefastus habetur; quamvis in Antiatino C quoque legatur. His diebus omnibus LVDI memorantur in nostro; et in Maffejano et Ami-

termino LVDI ROMANI IN CIRCO referuntur. Qui ludi Circenses Dioni memorati (Lib. L, 8) quinque continuos dies perdurabant, ideoque in Maffejanis fastis IN CIRC quinquies repetitur: in Antiatino vero ter modo legimus IN CIRC; DAM post ea verba, marmoris fractura, quae sequebantur sunt deperdita. Hic etiam animadvertendum venit diem XVII in Amiternino atque Antiatino NP signari, quum in Maffejano, aeque ac in Capranicorum, C legamus. Quo loco notat cl. Merkelius certum de tempore fastorum Maffejanorum documentum haberi (*Zeitschrift* cit. p. 573): hoc idem de Capranicorum fragmento dictum velimus. Quod ad notam NP in aliis duobus Kalendariis conspicua, id factum propter ferias ex S. C., quod eo die Augustus divinos honores consequutus sit. Postremo haud extra rem memorasse videatur hoc Capranicorum fragmentum ex collectione Borgiana ad Regium Borbonicum museum fuisse delatum.

Haec jam a nobis fuerant conscripta, quum ad manus nostras Theodori Mommsenii Viri cl. opus pervenit *Inscriptiones Regni neapolitani Latinae*, quod Lipsiae Georgii Wigandii typis nuper an. MDCCCLII prodiit. Idcirco de omnibus in eo opere adnotatis nos posthac profecturos esse fatemur; quidquid vero ad inscriptiones, de quibus supra loquuti sumus, pertinet ad appendicem amandantes. Quod ad hunc Capranicensem lapidem spectat, in Mommsenii exemplo mensis Iulii λιύψατα quoque ex Eduardi Philippi lectione referuntur, sed lin. 2 CEN pro CEII legitur. Observat Mommsenius in codice Rediano et apud Marinium in operis Fogginiani censura *ephemer. Pisanis* an. 1787 inserta, quam nobis sero usurpare licuit, Kalendarii titulum reperiri: ipsum vero Marinium Kalendis Augustis *natalis Ti. Claudii Germanici* mentionem recentiore manu fuisse illatam adnotasse: *censur. Foggin.* p. 15. VI Eidus Aug. in lemmate QVIRINALI pro QVIRINALE habet Mommsenius; apud quem et Kalendarii partem jam prius extantem modo deperditam, de qua nos p. 117, ex vetustis mss. emendatius relatam videas: pag. 382 n.° 6748.

(131)

In priore basis latere

Capricornus	*Aquarius*	*Pisces*
MENSIS ·	MENSIS	MENSIS ·
IANVAR	FEBRAR	MARTIVS ·
DIES · XXXI	DIES · XXVIII	DIES · XXXI
NON · QVINT.	NON QVINT	NON · SEPTIMAN
DIES · HOR · VIIIIS :·	DIES · HOR · XS :·	DIES · HOR · XII
NOX · HOR · XIIII :·	NOX · HOR · XIII :·	NOX · HOR · XII
SOL ·	SOL · AQVARIO	AEQVINOCTIVM
CAPRICORNO	TVTEL · NEPTVNI	VIII · KAL · APR
TVTELA	SSGETES	SOL · PISCIBVS
IVNONIS	SARIVNTVR	TVTEL · MINERVAE
PALVS	VINEARVM	VINEAE PEDAMIN
AQVITVR	SVPERFIC · COLIT	IN PASTINO
SALIX	HARVNDINES	PVTANTVR
HARVNDO	INCENDVNT ·	TRIMESTR · SERITVR
CAEDITVR	PARENTALIA	ISIDIS · NAVIGIVM
SACRIFICANT	LVPERCALIA	SACR · MAMVRIO
DIS	CARA COGNA†O	LIBERAL QVINQVA
PENATIBVS	TERMINALIA	TRIA · LAVATIO
		*

In altero latere

Aries	*Taurus*	*Gemini*
MENSIS	MENSIS	MENSIS
APRILIS	MAIVS	IVNIVS
DIES · XXX	DIES · XXXI	DIES · XXX
NONAE	NON · SEPTIM	NON · QVINT
QVINTAN	DIES · HOR · XIIIIS	DIES · HOR · XV
DIES	NOX · HOR · VIIIIS	NOX · HOR · VIIII
HOR · XIIIS	SOL · TAVRO	SOLIS · INSTITIVM
NOX	TVTEL · APOLLIN	VIII · KALI · VL
HOR · XS	SEGET RVNCANT	SOL · GEMINIS
SOL · ARIETE	OVES TVNDVNT	TVTELA
TVTELA	LANA · LAVATVR	MERCVRI
VENERIS	IVVENCI DOMANT	FAENISICIVM
OVES	VICEA PABVLAR	VIN . . AE
LVSTRANTVR	SECATVR	OCCANTVR
SACRVM	SEGETES	SACRVM
PHARIAE	LVSTRANTVR	HERCVLI
ITEM	SACRVM MERCVR	FORTIS
SARAPIA	ET · FLORAE	FORTVNAE

In tertio latere

Cancer	*Leo*	*Virgo*
MENSIS	MENSIS	MENSIS
IVLIVS	AVGVST	SEPTEMBER
DIES · XXXI	DIES · XXXI	DIES · XXX
NONAE	NON · QVINT	NON QVINT
SEPTIMAN	DIES · HOR · XIII	DIES HOR · XII
DIES	NOX · HOR · XI	NOX · HOR · XII
HORARVM	SOL · LEONE	AEQVINOCT
XIIIIS :·	TVTEL · CERER	VIII · KAL OCT
NOX · HOR	PALVS · PARAT	SOL · VIRGINE
VIIIIS :·	MESSES	TVTELA
SOL CANCR	FRVMENTAR	VOLCANI
TVTELA	ITEM	DOLEA
IOVIS	TRITICAR	PICANTVR
MESSES	STVPVLAE	POMA · LEGVNT
HORDIAR	INCENDVNT	ARBORVM
ET FABAR	SACRVM · SPEI	OBLAQVIATIO
APOLLINAR	SALVTI · DEANAE	EPVLVM
NEPTVNAL	VOLCANALIA	MINERVAE

Digitized by Google

(132)

SACRAE

In quarto et extremo latere

Libra	*Scorpio*	*Sagittarius*
MENSIS	MENSIS	MENSIS
OCTOBER	NOVEMBER	DECEMB
DIES · XXXI	DIES · XXX	DIES · XXXI
NONAE	NON · QVINT	NON QVINT
SEPTIMAN	DIES · IIOR · VIIIIS	DIES HOR VIIII
DIES	NOX · HOR · XIIIIS	NOX HOR · XV
HOR · XS ⁖	SOL	SOL · SAGITT
NOX	SCORPIONE	TVTEL · VESTAE
HOR · XIIIS	TVTELA	HIEMPS · INITIV
SOL	DEANAE	SIVE TROPAE
LIBRA	SEMENTES	CHIMERIN
TVTELA	TRITICARIAE	VINEAS · STERC
MARTIS	ET · HORDIAR	FABA · SERENTES
VINDEMIAE	SCROBATIO	MATERIAS
SACRVM	ARBORVM	DEICIENTES
LIBERO	IOVIS	OLIVA · LEGENT
	EPVLVM	ITEM · VENANT
	HEVRESIS	SATVRNALIA

Kalendarium est quod *rusticum* et *Farnesianum* vulgo appellitant a multis antea relatum. Vide Mazochium *Calendar. et opusc.* p. 266 et 270: Smetium *inscript.* XXXVII: Georgium Fabricium in *Roma* p. 115: Fulvium Ursinum *notae ad M. Catonem* etc. MDLXXXVII p. 194 seqq.: Gesnerum *ad Columellam* t. II *Scr. R. R.* p. 851-858: Siccamam *Fastor. Kalend.* p. 16-18: Gruterum p. CXXXVIII—CXXXIX: Boissardum *antiq.* p. III p. 140-142: Goltzium *thes. antiq.* p. 205, 206: C. Neapolim ante *anaptyxin in Fastos Ovidii*: Fleetwood *Sylloge* pag. 60-63: Schurtzfleischium *ann. Romanor. Iulian.* p. 368-370; quos omnes laudat Vaassenius in praefatione ad *fastos Romanorum Sacros* p. XX et seq. Quibus addas Orellium *Syllog. inscr. latin.* tom. II p. 380, Mus. Borbonico vol. II tab. 44, et recentissime cl. Th. Mommsenium *inscr. regni neapolitani latinae* p. 381 n. 6746

Νοθείας hoc monumentum insimulare non dubitavit Pontedera *epist.* n. 46 p. 395; sed potior Fogginii *Verr. Flac. fragm.* I cap. 104, aliorumque doctorum virorum sententia, qui illud, quamvis minus perite et sequiore aetate compositum, γνήσιον tamen esse contendunt. Quod iudicium et Marinii doctissimi viri auctoritate nititur *Arval.* p. 137. Nos ex litterarum forma, nec non ex insculptis antiquae artis operibus quae Zodiaci signa referunt, lapidis γνησιότητα satis declarari opinamur. Ideo monumentum in nostra tab. II iterum exhibemus.

In Zodiaci signis illustrandis nihil ferme immoramur, quum et fere similia in ceteris monumentis appareant: vide tamen quae de iis commentati sunt doctissimus Letronnius (*journal des savants* 1841 pag. 69 segg. et *observations sur l' objet des représentations zodiacales qui nous restent de l' antiquité* etc. Paris 1824 in 8), nec non clarissi-

Digitized by Google

mus Greppo (*sur les globes dans les monum. anciens* in *revue numismatique* 1840 p. 202 segg.).

De nonis quintanis et septimanis omnia nota ex Varrone (L. L. V, 4). Cf. quoque Macrobium (*Saturn.* I, 12 et 15), et Censorinum (*De die nat.* 20).

Quod ad Deorum cuiusque mensis tutelas notandum eas ad duodecim olympicos deos referri: de quibus compertum est, Alexandrinis fortasse temporibus, inter eos et Zodiaci signa relationem quamdam statutam fuisse: quod ex Macrobio (*Saturn.* I, 12) desumas, ubi disertis verbis affirmat: *Nam et in duodecim zodiaci signis, quorum certa certorum numinum domicilia creduntur*, etc. Qua de re prolixe, praeter alios, commentatus est impietate atque eruditione insignis Dupuisius (*religion universelle, ou histoire de touts les cultes*).

Ad rem quam maxime facit Manilii (*Astron.* lib. II v. 439 seqq.) locus, ubi verbum *tueri* ad *tutelam* hanc optime alludit: atque consulendi sunt ibi Scaliger et Bulialdus. Sic ille:

Lanigerum Pallas, Taurum Cytherea TUETUR,
Formosos Phoebus Geminos: Cyllenie, Cancrum,
Tuque, Pater, cum Matre deûm regis ipse Leonem:
Spiciferae est Virgo Cereris, fabricataque Libra
Vulcani; pugnax Mavorti Scorpios haeret;
Venantum Diana virum sed partis equinae,
Atque angusta fovet Capricorni sidera Vesta:
E Iovis adverso Iunonis Aquarius astrum est:
Agnoscitque suos Neptunus in aethere Pisces.

At nobis potissimum memoranda ara Gabina (Millin *Gal. myth.* tab. XXVIII, XXIX n. 85-89: Visconti *mon. gabini* n. 16), in qua deorum symbola cum Zodiaci signis ita consociantur, ut cum citatis Manilii versibus mirum in modum conspiret. Hanc vero similitudinem doctissimus Viscontius minime agnovit, ut aram Gabinam arctius cum nostro Kalendario compararet: quod perperam factum esse nulli dubium esse poterit. Nam revera in Pinciano monumento Gemini cum Apollinis tripode quem tenent, Cancer cum Mercurii Testudine, Leo cum Iovis Aquila, Virgo cum Cereris Calatho, Libra cum Vulcani Pileo, Scorpius cum Martis Lupa, Sagittarius cum Dianae venatricis Cane, Capricornus cum Vestae Lucerna, Aquarius cum Iunonis Pavone, Pisces cum Neptuni Delphinis simul coniuncti conspiciuntur. Cum Tauro avis alicnius reliquias ad Veneris Columbam, atque cum Ariete alterius volucris fragmenta ad Palladis noctuam referenda esse putamus: quocirca has anaglyphorum partes hoc modo restaurari oportuisset.

In nostro Kalendario Farnesiano mensis tutela a signi, quod memoratur, tutela differt. Hoc vero ex eo explicandum censemus eumdem mensem aliqua ex parte ad signum aliquod Zodiaci, alia vero ex parte ad proximum pertinere. Ideo scriptoris negligentia culpanda non est; quum ex eo signo, cuius cum sole coniunctio incipit, mensis tutela deducatur. Praeterea, si ad Romanorum traditiones revertamur, aliquid fortasse reperiemus, quo haec deorum tutela in aliquibus saltem Kalendarii nostri mensibus magis magisque explicetur. Et ut a mense Ianuario incipiamus, qui sub Iunonis tutela esse dicitur, id ad Iunonis *Calendaris* denominationem referri opinamur, quae ad prioris anni mensis Kalendas potissimum spectat (Ovid. *Fast.* I, 55, et Macrob. *Saturn.* I, 9 et 15). Atque ad rem faciunt quae de hoc Iunonis nomine edisserit clarissimus Merkolius, qui inter Ianum atque Iunonem cultum aliquem communem fuisse putat: » Cum » apud Macrobium propter istoc Iunonis » nomen et munus Ianus Iunonius se-

Digitized by Google

» eundum Varronem dictus traditur, » intelligendus est cultus utriusque numinis communis, cuius indicia extant » apud Ovidium I, 265 seq. Similia » sunt apud Virg. *Aen.* 7, 620-623: cf. » Servius ad v. 610. *Idem* (*Ianus*) » *Iunonius; inde pulchre Iuno portas* » *aperire dicitur* et ad 2, 610: *ut portas* » *Iunonem, quarum Dea est: nam* » *portam luminis nascentibus praebet.* » (*Ad Ovidii Fast. proleg.* p. CCXLII) ».

De mense Ianuario et Iano vide quoque cl. Scheiffele dissertationem *über die Gelübde der Alten, den ersten Ianuar in alten Rom, Strenae, Ianus, Aesculap* impressam Stuttgartae an. 1851: et quae de Iano nuper scripsit cl. Schwegler *Römische Geschichte in Zeitalter der Könige* vol. I p. praesertim 220 et seq. Tubingae 1853.

Ut cetera praetereamus, hoc idem de mense Aprili dicendum est; quem sive ab omnibus rebus *aperiundis*, sive minus recte ab ἀφρῷ, e qua Venus orta traditur, dictum opinemur (Macrob. *Saturn.* 1, c. 12), cum Aphrodite arctissimo iungitur nexu. Id vero hoc loco memorandum est, quod ait ipse Macrobius, *postea constitutum, ut matronae* (mense Aprili) *Veneri sacrum facerent* (l. c.): ex quo quartus ille mensis a poetis Veneris est appellatus. Cf. Ovidius *Fast.* IV, 13, et Horatius *Od.* lib. IV, XI, v. 15 seq.

Quod ad rustica opera, de quibus fit mentio in nostro Kalendario, ad rei rusticae scriptores amandamus, quid quoque mense referatur memorasse contenti. Mense ianuario *palus aquitur* i. e. *acuitur* haud insolita litterae C in Q commutatione, *salix, harundo caeditur.* Mense februario *segetes sariuntur, vinearum superficies* (vel *superficium*) *colitur, harundines incenduntur.* Mense martio *vineae pedamina in pastino putantur, trimestre seritur.* Mense aprili *oves lustrantur.* Mense maio *segetes runcantur, oves tunduntur, lana lavatur, iuvenci domantur, vicea pabularis secatur, segetes lustrantur.* Mense iunio *faenisicium, vineae occantur.* Mense iulio *messes hordiaria et fabaria.* Mense augusto *palus paratur, messes frumentariae, item triticaria, stupulae incenduntur.* Mense septembri *dolea picantur, poma leguntur, arborum oblaquiatio.* Mense octobri *Vindemiae.* Mense novembri *Sementes triticariae et hordiariae, scrobatio arborum.* Mense denique decembri *vineas stercorant, fabas serentes, materias deicientes, oliva legentes, item venantur.*

Deorum festa singulis mensibus memorantur: ac primum mense ianuario *sacrificari* dicitur *Diis Penatibus.* Mense februario *Parentalia* quae dicuntur eadem esse opinamur atque *Feralia*, de quibus antea loquuti sumus pag. 114. De *Lupercalibus* vide supra p. 113, et quae nuper scripsit cl. Schwegler *Röm. Gesch.* tom. I pag. 237 et 391. Sequitur CARA COGNATIO: nam ita legendum esse e nexu T cum I haud dubie deducitur. Recte ad festum *Charistia* his verbis adludi vidit Ursinus, qui Ovidium (*fast.* lib. II v. 617) et Valerium Maximum (lib. 2 c. I ex. 8) citavit. Molius tamen apud Martialem legimus: CARA *daret solemne tibi* COGNATIO *munus* (Mart. IX, 55): atque comparanda quoque inscriptio apud Fabrettum: *Item VIII K. Mart. die* KARAE COGNATIONIS *ad Martis eodem loco dividerent sportulas, panem et vinum* (p. 724 n. 443). CARAE COGNATIONIS *honoraria* meminit Tertullianus (*idol.* 10). De *Terminalibus* quoque omnia nota.

Mense martio *Isidis navigium* illustravit Ursinus (*op. cit.* p. 203), Lactantio potissimum auctore, qui *certus dies*, inquit, *habetur in Fastis, quo* ISIDIS NAVIGIVM *celebratur: quae res docet non tranasse illam, sed navigasse* (lib. I c. 11, *oper.* t. 1 p. 47 Dufresnoy). *Sacrum Mamurio* idem explicavit Ursinus, qui de *ancilium* festo intellexit (p. 203). De *Liberalibus* vide supra p. 114, item de *Quinquatribus* p. 115. *Lavatio* matris Deorum in flumine Almone VI Kal. Aprilis fiebat: quod multis veterum scriptorum locis Ursinus ipse illustravit (p. 204). Mense Aprili *sacrum*

Digitized by Google

Phariae, et *Sarapia* ad aegyptiam religionem referuntur, quae iampridem Romam invecta ibi sacris templisque constitutis creverat.

Mense maio *sacrum Mercurio et Florae* memoratur, quod ad Floralia referendum est. Mense iunio *sacrum Herculi*, *sacrum Fortis Fortunae*, de quo videatur Merkelius in *Zeitschrift der Alterthumswissens.* 1840 p. 566. Mense iulio *Apollinaria*, ubi de ludis apollinaribus, ac *Neptunalia*, ubi de ludis neptunalibus intelligas. De *Spei sacro* quod mense augusto memoratur, vide quae supra sunt scripta, pag. 118: et de *Salute* confer pag. 119. Item de Diana vide pag. 121, et de *Volcanalibus* pag. 117. Mense septembri *epulum Minervae* habetur: ac mense octobri *sacrum Libero*, quod cum Merkelio de vindemialibus est intelligendum: vide *Zeitschrift der Alterthumswissenchaften* 1840 pag. 563. De Iovis epulo vide quae p. 122 commentati sumus. *Heuresis*: hoc verbo, ut ait Ursinus, *fortasse dies designatur is, quo Ceres Proserpinam filiam a Plutone raptam, omnibus terris perquisitam invenit*. Postremo mense decembri *Saturnaliorum* fit mentio, de quibus nihil hoc loco addamus oportet.

(132)

NONIS·OCTOBR·DR....
XV·K·NOVEMBR·EO·D····
XVI·K·DECEMBR·NATA····
XVIII·K·IANVAR·EO·DIE·A····
NÍS·PROVINCÍS·RED·······
VII·IDVS·IANVAR·E·········
'II·K·FEBŔ·EO·DI············

Fragmentum hoc a se repertum Museo Borbonico dono dedit cl. de Iorio, qui alterum fragmentum Instituto archaeologico Romam misit: atque ambo ad camdem inscriptionem pertinere primus vidit cl. Mommsenius (*bullett. dell' Ist.* 1846 p. 79). Antequam de duobus hisce fragmentis, quae nec integram epigraphem conficiunt, pauca dicamus, operae pretium erit fragmentum romanum cum nostro coniungere ut quo pacto inter se cohaereant quisque oculis adspicere possit.

fragmentum neapolitanum | *fragmentum romanum*

1 *XIIII k. septembr.* | *eo die caesar pri*MVM . CONSVLATVM . IN*iit*.....
2 . . . . *eo.* | *die exer*CITVS . LEPIDI . TRADIDIT . SE . CAESARI . SVPPLICA*tio*.....
3 *VIIII k. octobr. n* | ATALIS . CAESARIS . IMMOLATIO . CAESARI . HOSTIA . SVPPLICATIO.....
4 NONIS . OCTOBR . DR | VSI . CAESARIS . NATALIS . SVPPLICATIO . VESTAE
5 XV.K.NOVEMBR.EOD | IE.CAESAR.TOGAM.VIRILEM.SVMPSIT.SVPPLICATIO.SPEI.ET.IVVE*ntuti*
6 XVI.K.DECEMBR.NATA | LIS . TI . CAESARIS . SVPPLICATIO . VESTAE
7 XVIII.K.IANVAR.EO.DIE.A|r|A.FORTVNAE.REDVCIS.DEDICATAST.QVAE.CAESAREM.*Aug.ex transmari*
8 N|S.PROVINC|S.RED|*uxit* | SVPPLICATIO . FORTVNAE . REDVCI
9 VII.IDVS.IANVAR.E|*o die caesar* | PRIMVM . FASCES SVMPSIT . SVPPLICATIO . IOVI
10 ...'II.K.FEBR.EODI|*e caesar Augustu*|S . APPELLATVS . EST . SVPPLICATIO . AV*gusti numini*
11 *III. k. febr. eo die ara pacis dedicata* | EST . SVPPLICATIO . IMPER*atoris genio et paci.*
12 |
13 | IM. . . . .
14 | XIM. . . . .

Digitized by Google

Fragmentum romanum jampridem est divulgatum a cl. Guarinio (*comm.* XIV p. 52), ac rectius a docto Kellermanno, qui apographum quoque paraverat, a cl. viro O. Iahnio postea editum (*dissert. de Calendarii Cumani fragmento* in O. Iahnii *specimine epigraphico* p. 1-22). Alia eiusdem inscriptionis fragmenta, quae simul detecta fuisse constabat, iterum esse deperdita Kellermanno maxime dolendum videbatur: atque vehementer optabat vir eximius ut aliquando e tenebris resurgerent, quamquam bene gnarus fieri posse, ut supplementa, quae tunc proponebat, pro falsis agnoscerentur (l. c. p. 1). Quam suspicionem, fragmento neapolitano detecto, cl. Mommsenius veram patefecit; nam Kellermanni supplementa, haud minima ex parte, rejicienda esse demonstravit (*bullett. dell' Ist. di corr. arch.* 1846 p. 79-80; *Rhein. Museum n. F.* IV, 629). Doctus hic vir duo fragmenta simul coniuncta edidit: atque ex eo doctissimus Avellinius (*bullett. arch. napol.* an. V, p. 120): quae iterum videre est in recenti Mommseuii opere *inscriptiones regni Neapoltani latinae* p. 138 n. 2557.

In hoc cumano Calendario domus Augusti dies festi memorantur: atque Kellermanni opinionem probabilem esse arbitramur duo fragmenta columnam fere integram inscriptionis constituere, ubi a Septembre ad Februarium mensem festa recensentur: ut in altera columna a Martio ad Augustum mensem dies festi referebantur. In hoc vero errat vir clarissimus quod columnam superstitem priorem fuisse putavit. Quod factum est ex fragmenti neapolitani ignorantia, ex quo ad februarium mensem perveniri desumere potuisset. Hinc, aut unica columna a martio mense ad februarium, qui Romanorum est annus, inscriptionem totam scriptam opinamur, aut hanc nostram duplici fragmento constantem secundo loco esse collocandam tenemus.

Lin. 1. 2. 3. Kellermanni supplementa Mommsenius atque Avellinius excipiunt. Prior tamen linea 1 addit in fine *supplicatio Iovi*, ac lin. 3 SVPPLICATIO *Vestae*. Quae deorum nomina satis dubia esse cuique videbitur.

L. 4. Ex fragmento neapolitano nonis octobris Drusum minorem Tiberii filium natum esse liquet; quod videre non potuit Kellermannus. Ex qua notitia Drusum anno urbis conditae DCCXXXIX natum, DCCLXVIII vero consulatum iniisse, collega noster doctrina atque ingenio insignis Bartholomaeus Borghesius diducetis calculis demonstravit (*bullett. dell' Inst.* 1846 p. 80).

L. 5. 6. Fragmentum neapolitanum Kellermanni supplementa confirmat, qui de deabus Spe et Iuventute disputavit l. c. p. 13 seq.

L. 7 et 8. Supplementa Mommsenii certa sunt, atque etiam nostro fragmento debentur. Amiterninum Kalendarium hoc loco apprime memorandum esse vidit vir clarissimus, qui IV id. Octobris aram Fortunae Reduci constitutam iisdem plane verbis refert: E·D·IMP·CAES·AVG·EX·TRANSMARIN·PROVINC·VRBEM·INTRAVIT·ARAQ·FORT·REDVCI·CONSTIT. Discrimen, quod inter constitutionem et dedicationem eiusdem arae intercedit, per se patere observat Kellermannus, atque luculentissimo exemplo arae Pacis illustrat, cuius Kalendarium Antiatinum et Amiterninum ad IV non. Iul. an. DCCXLI constitutionem, Calendarium vero Praenestinum ad III Kal. Febr. an. DCCXLV dedicationem memorat.

Lin. 9. Marmor a Kellermanni supplementis differt, qui de Kal. Ian. ac de primo Tiberii consulatu intellexit. Sed optime ex fragmento neapolitano supplevit Mommsenius VII·IDVS·IANVAR. *Eo die Caesar* PRIMVM FASCES SVMPSIT etc. Eo die, ut notum est, Augustus imperium a Senatu, cum consulibus Hirtio et Pansa, propraetoris titulo obtinuit: ideo recte in nostro calendario *primum fasces sumpsisse dicitur*. Inde ara Narbonensis explicatur VII·ID. IANVAR·QVA·DIE·PRIMVM·IMPERIVM·ORBIS·TERRARVM·AVSPICATVS·EST. cf. Orelli-Henzen tom. III p. 57, et 219.

Lin. 10. XVII *Kal. feb.* ex Calendario

Digitized by Google

Praenestino supplet Kellermannus: atque hoc idem ex nostro fragmento desumi opinamur, ubi litterarum reliquias ad eumdem numerum referre possumus: quidquid contra dicat Mommsenius. Atque cum monumentis hisce Verrius quoque Flaccus conspirat, qui Octavianum XVII Kal. Febr. Augusti nomen sumpsisse ait: a quo parum differt Censorinus qui XVI Kal. febr. habet. Sed probabilis emendatio a Kellermanno proposita, qui duobus in scriptoribus XVII legendum esse putavit.

Lin. 11. De supplementis suis, quae partim Borghesio debita recepimus, vide Kellermannum ingeniose disputantem pag. 19.

De tribus lineis, quae in fragmento romano sequuntur, nihil certi attulit Kellermannus, ceterique docti viri qui postea ediderunt: neque nos in re adeo dubia ingenio nostro indulgebimus: atque quid in paucis litterarum vestigiis lateat divinare differimus.

(133)

ADMINISTRANTEROMANOIVN·SACERDOTE
FERIALE·DOMNORVM·SIC
III·NONAS IAN·VOTA
III·IDVS·FEBR·GENIALIA
KAL·MAIS LVSTRATIO ADFLVMEN
CASILINO
III IDVS·MAIROSARIA·AMPLIEAFRE
VIII·KAL·AVG·LVSTRATIO·ADFLVMEN
ADITER·DIANAE
VI·KAL·AVG·PROFECTIOADITER·AVERNI
IDVS·OCT·VENDEMIA·ACERVSAE
IVSSIONE·DOMNORVM·FELIX·VOTVM
SOLLICITE·SOLVIT·X KAL·DECEMBR.
VALENTINIANO III ETEVTROPIO

Ediderunt Avellinius (*opusc.* tom. III p. 215 seqq.), qui epigraphen docto commentario instruxit; dein cl. Mommsenius (*inscr. regni neap. lat.* n. 3571), qui de tota inscriptione in *annalibus* regiae scientiarum Societatis Lipsiensis iam anno MDCCCXLIX disputaverat, pag. 64 et seq.; denique cl. collega noster Io. B. Finatius in *Real Museo Borbonico* tom. XV tab. XLIII, ubi quaedam lapidis ornamenta delineantur, ac nuperrime cl. Henzenius in Orellii *inscr. latinar. selectar. ampliss. collectione* vol. III, p. 218 n. 6112.

Monumentum ex campani amphitheatri ruinis, anno circiter MDCCCXXX extractum, arte haud apernenda sculptum est, quae aevum ab inscriptionis saeculo plane diversum prodit. Ideo omni parte diligentissime delineatum in nostra tab. III, n. 2 lectorum oculis subiiciendum putavimus.

Quod ad pristinum lapidis usum attinet, Avellinius aram fuisse conjecit iam ante Romani tempus eleganter insculptam, in qua postea *feriale* scriptum (*opusc.* l. c. p. 303 seq. cf. quoque Finatium l. c.). Sed potissimum in hoc monumento locum tenet inscriptio, de qua pauca nobis dicenda sunt, post ea quae Avellinius atque Mommsenius perscripsere.

Feriale est in Campania provincia a quodam Romano Iuniore sacerdote promulgatum, atque maximi nobis pretii ducendum; quum ad annum CCCLXXXVII pertineat, Valentiniano et Theodosio in orbe Romano imperantibus, atque de-

Digitized by Google

monstret quum Christiana religio ubique floreret, veteres adhuc ritus in Campania, Romae etiam servari. Nec parvi nobis aestimandum videtur unicum esse *feriale*, quod nobis antiquitas transmiserit; nam *Fratrum Arvalium* acta ad religiosos ritus, nec vero ad civiles ferias referuntur: atque feriarum latinarum fastus, quos Odericius (*sylloge inscr.* in *diss. var.* p. 231), atque Marinius (*Arvali* p. 129) ediderunt, non nisi annorum, quibus celebratae sunt, notationem continent.

FERIALE DOMNORVM dicitur (lin. 1), IVSSIONE DOMNORVM (lin. 12); nec non Romanus *Votum sollicite solvit* x *Kal. Decembris*, quo die an. CCCLXXV Valentinianus II occidentale imperium auspicatus est (Fast. Idat. p. 93 et 94 edit. Roncaglia). Unde recte deducit Mommsenius feriale Campanum publica auctoritate fuisse promulgatum.

Lin. 3. III NONAS IAN·VOTA. De votis publicis pro salute atque incolumitate principis esse intelligendum Avellinius luculentissime ostendit. Atque ad rem faciunt Taciti verba ab eodem cl. viro adducta; *quum pro incolumitate principis vota susciperent* (*annal.* IV, 17).

Lin. 4. III·IDVS·FEBR·GENIALIA. Ad Genium sive populi Romani, sive potius Imperatoris referri vidit Avellinius: quae feria in lege 2 tit. x Codicis Theodosiani *de Paganis* permittitur. Cum Romani *feriali* comparandum venit Kalendarium Vindobonense a Lambecio editum (Graev. *thes.* t. VIII, p. 97 ed. Venet.), quod ad Constantinianum aevum refertur; in quo III id. febr. GENIALIA, ut pro GENIALICI emendat Avellinius, notatur.

Lin. 5. KAL·MAIS·LVSTRATIO AD FLVMEN CASILINO. Recte Avellinius Kalendarium rusticum Farnesianum comparat, ubi mense maio segetum lustratio memoratur; atque illud monumentum a falsi suspicione tuetur: id quod et aliis quoque argumentis doctorumque virorum auctoritate iam supra pag. 125 declaravimus.

Eas lustrationes apud flumen Vulturnum fieri probabile videtur; nam id flumen prope municipium Casilinum decurrit, de quo ait Livius: *quae urbs flumine dirempta Falernum ac Campanum agros dividit* (XXII, 15). Qua de re, praeter ea quae Avellinius congessit, vide cl. Weberum in recenti dissertatione *de agro et vino Falerno* pag. praesertim 23, et seq.

Quod ad nomen *Casilino*, advertit Avellinius pro genitivo *Casilini* heic usurpari, aliisque adductis epigraphicis exemplis eamdem ἀντίπτωσιν illustrat (l. l. p. 293): nos vero in iis omnibus exemplis ablativum loci admitti posse arbitramur; nam CASILINO idem ac IN CASILINO esse videtur.

Lin. 7. III·IDVS·ROSARIA·AMPLIE AFRE. Rosaria non sunt hic intelligenda de campis in quibus rosae conspiciuntur, sed rosarum sparsiones, quae in aliquibus caeremoniis usurpari solebant; ut ex Kalendario Constantiniano colligas (Graev. *thes.* t. VIII, p. 99): ita tamen ut non ad XIII, sed ad XXIII Mai diem referantur; quod ex nostro feriali fortasse est emendandum. *Rosaria* pro *Rosalia*, haud insolita litterarum mutatione, scriptum videtur: atque *rosalia* festum doctissimus Mazochius iampridem ex Balsamone illustravit (*Calend. Neap.* I p. 53 sub die 13 feb.). Quamvis rosarum sparsiones in sepulcralibus quoque titulis saepe occurrant, verumtamen vel ad Lares Augustos exornandos, vel ad aestatis initium verisque finem memorandum haec nostra rosaria, ex Ampliae Afrae testamento, celebrari Avellinius opinatur.

Lin. 8. 9. VIII·KAL·AVG·LVSTRATIO AD FLVMEN·AD ITER·DIANAE. Ut prior lustratio ad segetes, haec secunda ad messem referri videtur. Atque Avellinius eiusdem Kalendarii rustici Farnesiani auctoritate, aliisque scriptorum rei rusticae locis, ad messis initium reportari debere demonstravit. Hic vero advertas eam solemnitatem *ad flumen*, id est *Vulturnum*, fieri; loco tamen plane diverso ab eo, ubi prior lustratio constituitur; nam *ad iter Dia-*

nae fieri dicitur, quibus verbis innuitur eam viam a Capua vetere ad Dianae Tifatinae templum, duobus circiter passuum millibus ab urbe dissitum, duxisse. Atque Avellinius aliam inscriptionem quoque refert eodem loco effossam, ubi VIA DIANAE et VICVS memoratur (Mommsen *inscr. r. neap. lat.* n. 3633). De quo vico, et de praefecto iure dicundo eo misso vide quae collega noster Gervasius recentius disputavit (in Minervinii *Bull. archeol. napol.* an. III p. 31 seq.: adde ipsum Minervinium *ibid.* an. V, p. 41).

Lin. 10. VI·KAL·AVG·PROFECTIO·AD ITER AVERNI. Mommsenius legit *ad ifer*, atque de *inferiis* interpretatur, quae ad Avernum lacum prope Puteolos a Campanis celebrabantur. IFER*ias* pro *inferias* legi debere ex alia epigrapho ostendit, ubi eadem orthographia apparet (Fabretti p. 109, 243: Gori *inscr. Etrur.* pars I p. 393). Quod et alio exemplo confirmat cl. Henzenius, romanam inscriptionem adducens, ubi AD IFERos legitur (Orelli-Henzenius p. 218 n. 6112 cf. p. 478 n. 7341). Ceterum dubia res manet in monumento; nam littera eius vocis secunda plane ut T efformatur, ut ex nostro apographo unusquisque pervidere poterit. Sed in nostro feriali eadem litterae F etiam forma duobus in locis apparet; nam et lin. 5 vox FLVMEN, et lin. 7 vox AFRE haud absimili modo leguntur, quasi si TLVMEN et ATRE sit scriptum. Ad Avellinii tamen lectionem retinendam aliquis advertere poterit nullum in hac nostra inscriptione verbum breviari, si dierum notationem excipias: praeterea paullo ante vocem eamdem *iter* pro *via* usurpari: denique profectionem ita esse cum itinere connexam, ut vix credibile appareat aliam huic loco significationem esse appingendam.

Lin. 11. IDVS·OCT·VENDEMIA. ACERVSAE. In Calendario rustico farnesiano mense Octobri vindemis memoratur, quod a rei rusticae etiam scriptoribus liquet. Utcumque sit, nomen *Acerusae* ad paludem *Acherusiam* alludere recte vidit Avellinius, qui de feriis quoque vindemialibus docte disputavit, iuxta Romanorum leges, quibus eae a die ante Septembris Kalendas X ad diem ante Kalendas Octobris XVII statuebantur. Quo in loco, ex ferialis nostri auctoritate, observat cl. Mommsenius Italiae provinciales praesides ferias vindemiales a XVII Cal. Octobris ad hujus mensis idus solere constituere: additque ferias istas, in Campania praesertim, ita esse constitutas, ut idus octobres ultima feriarum dies, atque festi praecipua haberetur.

De ceteris epigraphes partibus, praeter ea quae supra diximus, nihil est ut moneamus.

Hoc vero addendum superest feriale nostrum in marmorea tabula esse insculptum, quae ad superiorem altaris mensam pertinuisse videtur; quum duo plani latera, ubi sculpta est epigraphe, encarpis harmonice dispositis, ac reliqua duo latera coronis exornata conspiciantur. Qui usus quarto saeculo progrediente fuit frequentissimus; nam marmoris inopia saepe factum est ut vetustiora ex marmore monumenta recentius instaurata atque partim commutata ad alios usus verterentur. Qua de re, multis allatis exemplis, collega noster A. Gervasius nuper disputavit (*Memorie della R. A. Ercolanese* tom. VII, p. 34 seqq.).

Etsi in amphitheatri Campani ὑπογαίοις marmor, de quo nobis est sermo, repertum sit; haud tamen Romani feriale in eodem amphitheatro propositum fuisse opinamur: sed saeculis posterioribus de templo, vel quo alio insigni Campano aedificio, sublatum atque eo allatum fuisse arbitramur.

Id denique monendum, quod cl. Mommsenius animadvertit, etsi campanum hoc feriale eo tempore sit editum quo Christiana religio, imperatoribus ipsis eam profitentibus, ubique vigeret, indicio tamen esse ethnicorum cultus jam fatiscentis. Festa, quae in eo memorantur, nullas religiosas ferias continent, quae ethnica redoleant, sed civiles sunt feriae, quae omnibus ethnicis aeque ac chri-

Digitized by Google

stianis, quum praesertim Imperatorum iussu celebrarentur, convenire poterant. Compertum est lege VIII Codicis Theodosiani lib. XVI tit. 10 *de Paganis*, quosdam veteres ritus fuisse abrogatos; ea tamen vota excipiuntur, quae feriale nostrum fieri praescribit. Aliis eiusdem Codicis Theodosiani legibus, sacrificia, victimarum inspectio, sive haruspicina, idolorumque cultus prohibentur; quod de feriis civilibus ac cuiusque provinciae peculiaribus minime statuitur. Anno demum CCCXCII, lege lata (12 cod. Theod. *eod. tit.*), Theodosius omnes Romanos vetuit ne ritus feriasque paganicas exercerent. Nulli ergo mirum esse debet anno CCCLXXXVII, ante eam legem quinto, imperatorum iussu Romanum provincialem Campaniae sacerdotem eiusdem provinciae feriale publica auctoritate indixisse.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSCRIPTIONUM SUPPLEMENTUM

SECTIO PRIMA

HERCULANENSES, POMPEIANAE, STABIANAE

1.

T · D · V · S
M · FABIVS · SECVNDVS
PERMISSV́ · AEDIL.
A · HORDIONI · PROCVLI
TI · IV́LI · RVFI

Basis parva, cum anaglypho pueros exhibente, Pompeiis reperta in aede quae dicitur Veneris. Edidit A. de Iorio (*guida di Pompei* p. 67), Guarinius (*fasti duumvirali di Pompei* p. 154 ed. 1), ac nuper etiam Mommsenius (*inscr. r. neap. lat.* n. 2199). Inter sacras epigraphen hanc esse referendam ex litteris V · S *Votum Solvit* colligi posse nobis videtur. Atque probabilis est conjectura, quam ipse Mommsenius refert, haec verba in siglis initio positis esse intelligenda: *Telluri. Deae. Votum. Solvit.*

2.

IV́LIA · HYGÍA
EX · VISV́

Haec quoque inscriptio inter pompejanas extat, ut iam advertit Mommsenius, qui primus edidit (*Inscr. r. neap. lat.* n. 2294).

SECTIO SECUNDA

MISCELLAE

3.

*h*ERENNIVS · M · F
*cl*AVD · PRISCVS
*p*RIMIPILARIS · LEG · II · TR
*f*ORTIS · PATRONVS · MVNICIP
VOTO · SVSCEPTO · DOMINO
SARAPIDI · D · D

E Puteolani iam S. Francisci Coenobii claustro, cum ceteris omnibus qui eodem in loco asservabantur, nuper in regium museum immissus est lapis. Edidit Mommsenius (*inscr. r. neap. lat.* n. 2483), ac nuperrime cl. Henzenius (Orelli vol. III n. 5837). Herennius Priscus e Claudia tribu Legionis secundae Trajanae fortis primipilaris dicitur, de qua omnia sunt nota. Municipium, cujus patronus appellatur, est certe Puteoli, ubi Iovis Sarapidis cultus iamdiu invaluerat: ibi aedificium Sarapidi sacrum, cujus splendidissimae adhuc extant reliquiae. Sarapis *Dominus* dicitur ut *Domina Diana* apud Martialem (lib. XII ep. 18), et *Domna Artemi* in clavo magico, vel potius gnostico, de quo vide collegam nostrum I. Minervinium (*nuove osservazioni sopra un chiodo magico* p. 10, s.), ubi quaedam exempla ex graecis quoque inscriptionibus referuntur, in quibus et Κυρια Αρτεμις, et Κυρια Νεμεσις, et alia his similia memorantur.

*

4.

ALFIDIVS · C · F · STRAB	C · N... VS · CN · F	M · PONTIVS · M · L · SAL
M · PANDIVS · M · F	M · COELIVS · C · F	A · OGRATIVS · M · L · ALEX
P · OCTAVIVS · P · F	M · HEIDIVS · M · F	C · HOSTIVS · M · L · HERM
C · CORNELIVS · C · F · SAP	L · DECVMIVS · N · F · STAB	A · RVBRIVS · A · F · PRAEC

HEISC · MAGISTR · EX · PAGEI · SCITV · IN · SERVOM · IVNONIS · GAVR · AE... ITVLE....

P · CORNELIO · LENTVLO · CN · AVFIDIO · ORESTE · COS · M . . . . . . M...

A latere eiusdem saxi legitur

......N · F · FABER · M · FISIVS · C · F · M · VIBIVS · P · *f.*
......SIVS · ST · F · M · BAIBILIVS · L · F · TI · HOSTIV*s*...
......*cune*OS · DVOS · INTHEATRO · FACIENDOS · COI*raverunt*

Monumentum insigne in S. Prisci pago, duo circiter millia passuum a Capua, repertum fuit. Edidit primum collega noster R. Garruccius (*bull. arch. napol. nuova serie* an. I p. 13 cf. p. 78), atque denuo a Friderico Wentrupio recognitum in Orelliana collectione cl. Henzenius recepit (vol. III n. 6119 et 6154): eodemque fere tempore Mommsenius iterum edidit in *monumenti annali e bullettini pubblicati dall'Ist. di Corr. arch.* 1854 p. 43. Nos lectionem iterum perpendimus, ut quid de Garruccii aliorumque in aliquibus locis dissidentia esset statuendum decerneretur. Lin. 1. Alfidius *Cai* filius non *Lucii* dicitur; et quod sequitur nomen est *C. N...us*, *Nonius* vel *Novius* — Lin. 2. *Coelius* non *Cloelius* ex fractura esse videtur, ut iam Mommsenius antea legerat. — Lin. 3. M. HEIDIVS recte legit Garruccius pro HE..CIDIVS quod ceteri omnes dederunt. Lin. 5 extrema AE... ITVLE esse legendum vidit Garruccius.

Lapis duas continet inscriptiones, quarum altera vetustior apparet; atque Garruccii probabilis est opinio eam quae ad theatrum pertinet aevo praestare. Quum vero ad DCLXXXIII U. C. annum P. Cornelii Lentuli ac Cnei Aufidii Orestis Consulatus pertineat, hinc trahere possumus iam ante id temporis Capuae theatrum extitisse. Prior inscriptio theatri ex hoc etiam fuisse colligitur, quod integra non sit, quum lapis sectus a sinistro latere appareat, ut ad novum usum verteretur; atque probabilis Garruccii coniectura qui sex, e duodecim, magistrorum nomina superesse putavit. In hoc nostro lapide notandum est magistros modo ingenuos, modo libertinos, reperiri; quod recte animadvertit idem Garruccius. Hinc lapidem Pratillianum (*Via Appia* p. 289) verum esse deducitur, quem frustra Mommsenius ex aliis magistrorum paganorum inscriptionibus Capuae repertis conflatum fuisse suspicabatur, neque non tamen in suam collectionem recepit (*i. r. neap. Lat.* n. 3563); qua de re vide cl. Radulphum Rochettum (*fouilles de Capoue* p. 22 et 24). Quamvis idem Mommsenius post Garruccii observata opinionem suam iudiciumque non retractarit, sed iterum confirmarit (*mon. an. e bull. dell' Ist.* cit. p. 43): hoc tamen observans se dubium fuisse, non marmoris αὐθεντίαν penitus reiecisse. *Ex Pagei scitu* formula alibi reperta, ut in Gruteriana (XXI, 11) EX SITV PAGI potius EX SCITV PAGI legendum vidit doctissimus Mazochius (*in legem pag. pagi Hercul. Comment.* p. 103): cf. Garruccius l. c. p. 14. Quod ad servum *Iunonis Gaur...* de *Iunone Gaurana* intellexit Garruccius, atque pagum *Gaurum* vel *Gauranum* extitisse putat, quod nomen in Campania haud insolitum esse advertit, ubi *numerosus palmite Gaurus* Statio (lib. III *Sylv.* 1, v. 47) memoratur.

Quod ad penultimi versus supplementa, in diversa Mommsenius atque Garruccius ivere. Nam prior editor supplebat: AR(*am op*)TVLE(*runt et*) MOERUM *re-*

Digitized by Google

fecerunt, sed quum alias lectiones invenisset, alio modo rem intellexit AER. INTVLER MVLTAM HS · X *Aerario intulerunt multam sestertiorum decem*. Secundus editor vero legebat: AR (G·P·L· CON)TVLER, atque postrema in linea post consulatum *Mense Maio* vel *Martio*. Quae supplementa Mommsenius antiquorum usu tuetur; notum est enim deo res adquirere solitos per servum eius: id quod sequutus esse Henzenius (l. c.) videtur. Id tantum est observandum haud sufficere spatium ad quinque vel sex litteras continendas, quum vix ad duo vel tres videatur accommodatum.

Nos de argento potius intelligendum, sed ABS·INTVLERVNT admittendum opinamur; nulla ponderis mentione. Idem fortasse dicendum de supplemento Mommsenii, *Mense Maio* vel *Martio*; ubi dies non definitur, auctor ait, quia duodecim magistri haud fortasse eadem die omnes argentum solverunt.

5.

. . . .
ET · LEONTO
XASMA DE
AEDDISYR
POSVER

Hanc inscriptionem regio museo a se dono datam primus edidit collega noster Ioseph Fuscus, qui Baiae repertam asserit (*di alcune iscrizioni di Pozzuoli e sue vicinanze* tav. I n. 2), atque illustravit pag. 11 et seq. Iterum edidit Mommsenius (*iscr. r. neap. praefat.* p. XXI n. 7258). Est in parva columna, quae partem superiorem amisit, atque infra conicam formam praefert ut in aliquem fontem posset immitti. Prior editor vidit DEAE *Diae* vel potius D*ominae* DI*ndymenae* SYR*iae* sacrum esse monumentum. Nomen ignotum *Toxasma* Fusco videtur; atque monumentum ipsum columna vel *pharetra*. De eo nomine multa nimis ingeniose congessit cl. Panofka (in Gerhardi *arch. Zeitung* 1852 p. 506 seq.). Sed fontis est columella, in cuius summo vertice leonis caput ad aquam emittendam conspiciebatur. Id *Leontochasma* significat, graecanica littera X pro CH usurpata, quasi λεόντειον χάσμα: atque si leonis hiatus in fontibus usitatissimus, maxime in eo fonte, qui Cybelae sacer, erat admittendus. Dedicautium nomina plane desunt initio; sed tota inscriptio ita erat fortasse supplenda:

. . . . . .
FONTEM
ET·LEONTO
XASMA DE
AEDDISYR
POSVER

6.

APOLLINI SACRVM
Q · TREBELLIVS · RESTITVTVS
FECIT

Litteris magnis et pulchris in amplissima marmorea tabula insculptis. Inscriptio e S. Francisci olim coenobii claustro in regium museum recenter immissa. Edidit Pratillius (*antichità di Pozzuoli, Cuma e Baja* fol. 1768 tab. LXVIII), Maffeius (*mus. Veron.* p. CDLXXVII, 6), Donatus (p. XVIII, 1), Iorio (*guida di Pozzuoli*, p. 148), Mommsenius (*ibid.* n. 2583), qui Cumanum esse monumentum suspicatur collata altera inscriptione eiusdem regii musei Borbonici, in qua *Apollinis Cumani* fit mentio: vide supra pag. 46.

7.

ACOM
ANAN
VS·OV·F
VENER
D·D

Ex Ioseph Fusci dono lapis in museum regium illatus. Edidit idem Fuscus (*di alcune iscr. di Pozzuoli* tav. 1 n. 1 pag. 10), et ex eo Mommsenius (*praef.* p. XXI n. 7260). Puteolana inscriptio esse videtur; ac editor, quod ad Veneris cultum apud Baias, compa-

Digitized by Google

rat aliam quam Ti. Claudius Marcion VENERI PROBAE SANCTISSIMAE posuit, de qua vide supra pag. 55, 8. De nomine Comanano omnia incerta; nisi velis a *Comanis* urbe, vel a Dea Comana detractum. Quae sequuntur sigla OV·F, si lineolam extritam putamus, Q·V·F habebimus, atque *Qui Votum Fecit* intelligemus.

8.

MERC·RETIARI·VII····CVPL
DAN·MAG. CVRARVNT
SEX·CAIMSI·SEX·E·A·PONI·LL
N·FAFINI·N·F·A·AEMI·AEMI
CN·ATANI·C·F·L·PONTI·L·L·GA

Ita edidit Garruccius ex eodem S. Francisci coenobio (*bull. arch. nap. ant. ser.* an. v p. 164): vidit et exscripsit Mommsenius (*i. r. neap.* n. 2480), qui litteras rudes et vetustas esse dicunt; atque Mommsenius etiam lapidem ita ubique rudem esse observat, ut vix appareat sit ne aliqua ex parte fractus.

Lin. 3. Mommsenius legit CALAASI, et in extremo EL pro LL. - Lin. 5 extrema legit GA pro BA. Garruccius *Mercatorum Retiariorum* fieri mentionem opinatus est, qui *Veneri Cupedinariae* aliquid obtulerint: Magistri vero dandum curarunt. Nomina magistrorum sunt intellectu haud omnia facilia: *Sextus Caimsius* est Mommsenio *Sextus Calaasius Sexti f.* Nullum de Fafinio et Atanio ingenuis dubium. A sinistris tres libertini conspiciuntur *A. Pontius, L. Libertus, A. Aemilius Aemilianus* (ita pro A·L·MI quod Garruccius dederat interpretamur): *L. Pontius L. L. Ba* vel potius *Ga Gaha*, vel *Gavius* ut in alia epigraphe Baiana reperimus (Momms. n. 2558); alia nomina monosyllaba dat Fabrettus (*inscr.* p. 2 et 3).

9.

G*e* NIO·COLO *n*.....
. ANNI·LX.....
pecu NIA·SVA·C·.....
.........N·CON....

Edidit Fuscus (*op. cit.* tab. I n. 4 p. 24 seq.), et Mommsenius p. XXI n. 7259. Fuscus de annis a colonia puteolana deducta intellexit; sed, quum litterae LX ad fracturae extremum ita sint collocatae ut LX ad LXXXIX annos possint exprimere, nihil certi de supplementis erit statuendum.

10.

......
P·III·MERC...
EX VOT....
RECONO.....
V....

Ex eadem collectione Fusci, qui edidit (*op. cit.* tab. I, n. 3): iterum dedit Garruccius (*Classis praet. Misenensis monum. quae extant* p. 67 n. 179), qui in portu Ostiensi ex cl. equite Io. B. de Rossi se habuisse dicit; quod nobis mirum videtur. Cf. quoque Momms. p. XXI n. 7262. De centurione trieris Mercurii est sermo: sed inter sacras admisimus cum *votum* alicui deo memoretur. Trieris *Mercurius* habetur in alia inscriptione, quum vido apud A. Gervasium *iscr. riguard. il Macello* in *memorie della reg. Acc. Erc.* t. VI p. 280.

11.

Hoc extremo loco inscriptionem referimus, quae dubium videri poterit alicui an sit inter sacras annumeranda. Epistylium est litteris vetustis, quod e macerie quadam Puteolis in hortis principis Carditi iussu suo extractum fuisse asserit cl. Mommsenius n. 2514, qui ita refert:

N·CLVVIVS·M·F·DVVM·VIR
NOLAE·IIII·VIR·QVIN
C·A··VIR·
P*u*T*e*AL·MANQ\......

Atque alia epigraphe puteolana (n. 2513), quam male Orellius refert (n. 3855 - cf. Orelli-Henzen. p. 419) comparata, sup-

Digitized by Google

plet lin. 2 et 3 - QVIN*quen* ‖ *n*Al iiii VIR · *Caudi*. Atque in extremo MAN-Q[VPAVIT · IOVI · O · M ?

Marmor tamen iam dederat cl. collega noster Raymundus Guarinius, qui alio modo legebat

N · CLVVIVS · M · F · DVVMVIR · *i* · *d* ·
NOLAE · IIII · VIR · QVIN*quennalis*
cons · *Duum*VIR · *Puteolanor* ·
PAT · *Deo* ARAM · *c*ON*stituit*

ac de ara *patrio deo* constituta intellexit (*Iter Vagum* 1851 mansio VII p. 11-12).

Cum litterae sint pluribus locis evanidae, nos iterum iterumque inspecto marmore has lectiones potuimus elicere.

Alicui ex nostris collegis videbatur ita legendum :

N · CLVVIVS · M · F · DVVM · VIR
NOLAE · IIII · VIR · QVINQ*uennalis*
. . . R . . . VIR . . . . . .
ARAM · I · O · M · SACRAM
. . . PO . . .

Alii vero hoc modo litteras fugientes interpretabantur :

N · CLVVIVS · M · F · DVVM · VIR · I · D
NOLAE · IIII · VIR · QVINQ*uen*
. . . . . A · IIVIR I · DICVN*do*
KAPVAE · MAN. . . . .
. . . PO . . .

Duumviros i. d. Capuae fuisse novimus ex aliis inscriptionibus (Mommsen. n. 3597. 3598. 3610. 3629. 3633); sed quum ante duumviratus mentionem quinquennalis titulus praecedat, nec eo modo suppleri possit ut Mommsenius putarat, quum spatium omnino desit ; nos A litterae M fragmentum esse , atque supplendum opinamur ITERVM ; ita ut *N. Cluvius* Capuae quatuorvir quinquennalis iterum, atque duumvir i. d. fuisse dicatur. De alio *quatuorviro quinquennali* in Capuae inscriptione fit mentio (Momms. n. 3618): hinc nostra interpretatio ac lectio firmatur. Atque fortasse ex hac nostra epigraphe alia eiusdem Cluvii restituenda, de qua supra diximus :

N] CLVVIVS · M · F
IIII · VIR
C]AVDI · II · VIR
NOLAE · IIII · VIR
QVINQVENNAL
CAPV]AE · DE · SVO · FACIVND.
COERAVIT · IDEM · RESTITVIT
IOV · O · M · SACR

Ita nobis legendum atque supplendum videtur pro eo quod Mommsenius dedit *Pute*]AL DE SVO etc.; nam quid Cluvius fecisset ex monumento ipso satis patebat. *Kapuae* pro *Capuae* est orthographia haud absurda , quum et in aliis vocibus reperiatur ut *Kalendarium* , *Arkarius*, *Karissimus* etc. Qua de re vide collegam nostrum A. Gervasium (*sopra una iscrizione sipontina* in *memorie della reg. Accad. Ercolan.* t. IV part. II p.128), ac praesertim Marinium (*Arvali* p. 211 et 702, 703*b*). De postremis lineis nihil statuimus , omnia in incerto relinquentes.

12.

NP LVDI B
. . . AE . NEPTVNO
C X
R NP LVDI D IX C
. . . E . FVRRINAE
E IIX OP OPICON..
F VII C
G VI VOLT....
. . INCIRCO H V C
A
..NCIRCO · FORTVNAE · HVIVS...
..N CAMPO

Calendarii Allifani fragmentum, quod a Iosepho Danielio possessum in regium museum illatum est.

Edidit Iosephus Antoninius in calce litterae Matthaei Aegyptii ad Langletum prior. editionis: repet. Zaccaria *stor. lett.* tom. II p. 536 a 1751: aeri incisam dedit Trutta *ant. Allif.* ad p. 139: adde Fogginium *fast. Verrii Flacci* p. 103, Orellium t. II p. 395 et 397, ac denique Mommsen. n. 4741. Quosdam mensis Iulii atque Augusti dies continet: id est Iulii a die 23 ad 30, et Aug. a die 22 ad 29. Die 23 LVDI ac *feri*AE NEPTVNO memorantur, ut in Maffeiano ac Pinciano. Die 25 ludi ac feriae FVRRINAE ut in iisdem Calendariis. Die 29. ludi in CIRCO FORTVNAE HVIVSQVE DIEI IN CAMPO ut in Calendario Pinciano. Quod ad mensis aug. fragmentum pertinet, nihil aliud superest memoria dignum nisi die 25 OPICONSIVA, et die 26 VOLTVRNALIA; de quibus vide supra p. 117.

Huic fragmento tria alia addebantur, quorum duo in regio museo adservantur: haec sunt


fr. primum	*fr. secundum*	*fr. tertium deperditum*
BEN*eventanis*	ATINATI*bus*	ALLIFANIS
NVCERI*nis*	INTERAMN*atibus*	CERREATIS
LVCERINIS APVLIS	TELESINIS	
SVESSANIS	SAEPINATIBVS	
ca LENIS	PVTEOLANIS	
*sue*SSVLANIS	ATELLANIS	
SVESANIS	CVMANIS	
*cala*TINIS	NOLANIS	

Multi ediderunt atque illustrarunt. Praeter eos, de quibus supra p. 112 diximus, vide Martorellium *ad Gorium Symb. litt.* dec. II vol. 2 p. 135 et *de reg. theca calam.* p. 451, ubi explicare conatur cur Neapolitani in ea municipiorum enumeratione desint. Ex eo Donat. 332, 5: 429, 4. Orellius ex Fogginio *fasti* p. 103 male unum esse fragmentum putavit (t. 1 p. 89 n. 130). Cf. quoque Mommsenius *ibid.* n. 4742—Nullam ante VCERINIS APVLIS littera apparet: hinc recte LVCERINIS supplendum videtur. Ideoque nullo modo a nostro fragmento firmatur *Nuceriam Apulam* pro *Luceria* usurpari (Mannert *Ital.* 2 p. 82); quod ipse Orellius volebat.



Digitized by Google


3.



1.




2.



5.

λ ς ʅ ϻ N

4.



And. Russo dis. — C. Biondi inc.

Digitized by Google

Digitized by Google



1

DRATVS PROMI...
VALERIVS IVNIANVS S...

IN PALATIO IN DIVORVM
SACRVM DEAE DIAE IBIQV...
HERENNIVS ORBIAN...
PVERIS PATRIMIS ET...
...IBVS BVS PVER IR CINIA...
COV...

2

...INT...
...IVS AVG B...
...RIPPINVS P AEL...
...NEL P VBLICA COM M...
IVN REG FRATR ARVAL...
AVRELLIVS ANTONIN...
IMP III COS IIII PROCOS...
...IVS SERVATVS SITT...
...ILIVS IVLIAE AVG B...
...VS POLLIO P AELIVS CO...
...VS P VBLICA COM...
...RECT...

3.

...KAI CAESAR ... ET SABINO COS
...VS NI IMP CAESAR AVRELLIVS ANTONINVS PIV...
...X P M TR P XVIII IMP III COS IIII P P PROCOS ...
...CIAR FELICISSIMA E A DIBERNIA ... IAE IN C...
...O TROAM C VICE M IVICES ... BASSIANI MAG...
...A SALVTI IMP ANTONINI BE... FORT DVCI...
...IALITA GENIO ANTONINI AVG TAVNNIVLIAE...
SVLPICIVS POLLIO P AELIVS COERANVS IVNN...

...RR INFEREND PIACVLVM FACTVM
...MET PORCIL FERRI EFFER PER...
...ETR...

4

...OM...
...VI ID...
...TECELLAM IVNONIS D...
...IN III NON IAN QVAE...
ITEM DECENNALIA ... SVS...
ET INCOLVMITATE IMP...
GORDIANI PII FELICIS...
CONVENERVNT PER M...

5.

VR IOVIS V...

ESTAS EX XI K MAI
IN X K AVGVST
DIES LXXXXIIII

LVNA...
NVNDINAE
· AQVINI
· INVICO
· INTERAM
· MINTVRN
· ROMAE
· CAPVAE
· CASINI
· FABRAT...

VII
XIII
XVII
XXIII
XVI

HIEMPS EX X K NOV
IN XIII K FEBRAR
DIES ...

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

2.

ADMINISTRANTE ROMANO IVN SACERDOTE
FERIAE DOMNORVM SIC
III NONAS IAN VOTA
III IDVS FEBR GENIALIA
KAL MAIS LVSTRATIO AD FLVMEN
CASILINO
IIII IDVS MAI ROSARIA AMPHITEATRE
VIII KAL AVG LVSTRATIO AD FLVMEN
AD ITER DIANAE
VI KAL AVG PROFECTIO AD ITER AVERNI
IDVS OCT VENDEMIA ACERVSAE
IVSSIONE DOMNORVM FELIX VOTVM
SOLLICITE SOLVIT X KAL DECEMBR
VALENTINIANO IIII ET EVTROPIO


1.


MENSIS·	MENSIS·	MENSIS·	MENSIS	MENSIS	MENSIS	MENS
IANVAR	FEBRAR	MARTIVS·	APRILIS	MAIVS	IVNIVS	IVLI
DIES·XXXI	DIES·XXVIII	DIES·XXXI	DIES·XXX	DIES·XXXI	DIES·XXX	DIES·X
NON·QVINT·	NON·QVINT	NON·SEPTIMAN	NONAE	NON·SEPTIM	NON·QVINT	NONA
DIES·HOR·VIIIIS	DIES·HOR·X S	DIES·HOR·XII	QVINTAN	DIES·HOR·XIIIIS	DIES·HOR·XV	SEPTIM
NOX·HOR·XIIII	NOX·HOR·XIII	NOX·HOR·XII	DIES	NOX·HOR·VIIIIS	NOX·HOR·VIIII	DIES
SOL	SOL·AQVARIO	AEQVINOCTIVM	HOR·XIIIS	SOL·TAVRO	SOLIS·INSTITIVM	HOR AR
CAPRICORNO	TVTEL·NEPTVNI	VIII·KAL·APR	NOX	TVTEL·APOLLIN	VIII·KAL·IVL	XIIIIS
TVTELA	SEGETES	SOL·PISCIBVS	HOR·XS	SEGET·RVNCANT	SOL·GEMINIS	NOX·HO
IVNONIS	SARIVNTVR	TVTEL·MINERVAE	SOL·ARIETE	OVES·TVNDVNT	TVTELA	VIIIIS
PALVS	VINEARVM	VINEAE·PEDAMIN	TVTELA	LANA·LAVATVR	MERCVRI	SOL·CAN
AQVITVR	SVPERFIC·COLIT	IN·PASTINO	VENERIS	IVVENCI·DOMANT	FAENISICIVM	TVTEL
SALIX	HARVNDINES	PVTANTVR	OVES	VICEA·PABVLAR	VIA[illegible]E	IOVIS
HARVNDO	INCENDVNT·	TRIMES·KR·SERITVR	LVSTRANTVR	SECATVR	OCCANTVR	MESSE
CAEDITVR	PARENTALIA	ISIDIS·NAVIGIVM	SACRVM	SEGETES	SACRVM	HORDIA
SACRIFICANT	LVPERCALIA	SACR·MAMVRIO	PHARIAE	LVSTRANTVR	HERCVLI	ET·FABA
DIS	CARA·COGNATIO	LIBERALIA·QVINQVA	ITEM	SACRVM·MERCVR	FORTIS	APOLLIN
PENATIBVS	TERMINALIA	TRIA·LAVATIO	SARAPIA	ET·FLORAE	FORTVNAE	NEPTVN

Digitized by Google



2.





1.

MENSIS
AVGVST
DIES·XXXI
NON·QVINT
DIES·HOR·XIII
NOX·HOR·XI
SOL·LEONE
TVTEL·CERER
PALVS·PARAT
MESSES
FRVMENTAR
ITEM
TRITICAR
STVPVLAE
INCENDVNT
SACRVM·SPEI
SALVTI·DEANAE
VOLCANALIA

MENSIS
SEPTEMBER
DIES·XXX
NON·QVINT
DIES·HOR·XII
NOX·HOR·XII
AEQVINOCT
VIII·KAL·OCT
SOL·VIRGINE
TVTELA
VOLCANI
DOLEA
PICANTVR
POMA·LEGVNT
ARBORVM
OBLAQVIATIO
EPVLVM
MINERVAE

MENSIS
OCTOBER
DIES·XXXI
NONAE
SEPTIMAN
DIES
HOR·XS
NOX
HOR·XIIIS
SOL
LIBRA
TVTELA
MARTIS
VINDEMIAE
SACRVM
LIBERO

MENSIS
NOVEMBER
DIES·XXX
NON·QVINT
DIES·HOR·VIIIS
NOX·HOR·XIIIIS
SOL
SCORPIONE
TVTELA
DEANAE
SEMENTES
TRITICARIAE
ET·HORDIAR
SCROBATIO
ARBORVM
IOVIS
EPVLVM
HEVRESIS

MENSIS
DECEMB
DIES·XXXI
NON·QVINT
DIES·HOR·VIIII
NOX·HOR·XV
SOL·SAGITT
TVTEL·VESTAE
HIEMIS·INITIV
SIVE·TROPAE
CHIMERIN
VINEAS·STERC
FABA·SERENTES
MATERIAS
DEICIENTES
OLIVA·LEGENT
ITEM·VENANT
SATVRNALIA

2 Palm.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google







Digitized by Google